DODECAS
QVÆSTIONUM POLITICARUM IIX.
DE
STATU ROMANO-GERMANICI IMPERII,

Quam,

TRINUNO NUMINE SECUNDANTE, SUB PRÆSIDIO


M. MARTINI LEUSCHNERI,

in Ducali Pædagogiô Sedinensi Philosophiæ Professoris dignissimi, Præceptoris sui ætatêm colendi, examinandam ac ventilandam proponit, &, pro ingenij sui viribus, defendere conabitur

CASPARUS Schaum/ Sedin. Pom.

Habebitur Disputatio 14. Januarÿ, horis locoq; consvetis.

STETINI, Typis GEORGII GOETSCHII,
ANNO 1640.



AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS & PRUDENTISSIMIS VIRIS,

Dn. HENRICO Schwichelt/ relicto secretioris Cameræ Ducalis Consiliario, Affini.

Dn. MICHAELI Newmann/ \ Reip. patriæ Consulibus meritissi-
Dn. JOHANNI Dillies/ / mis, illi Affini, huic Consobrino.

UT ET

ADMODUM REVERENDIS, CLARISSIMIS & EXCELLENTISSIMIS THEOLOGIS;

Dn. CHRISTOPHORO SCHULTETO, S. S. Theologiæ D. & ad D. Jacobi Pastori eminentissimo.

Dn. M. SAMUELI FUCHSIO, ad D. Nicolai Pastori vigilantissimo.

Nec non

PHILOSOPHIS CLARISSIMIS

Dn. M. MARTINO LEUSCHNERO, Ducalis Pædagogij Stet. Rectori ac Philosophiæ Professori dignissimo, Præceptori suo ætatem colendo.

Dn. M. JOHANNI MICRÆLIO, Scholæ Senatoriæ Rectori vigilantissimo, olim Præceptori suo omni observantiæ cultu proseqvendo

Præterea

HONORATISSIMO ac INTEGERRIMO VIRO,

Dn. JOACHIMO Mantheien/ Aromatario apud Sedinenses primario, Affini suo perdilecto.

Omnibus & singulis Dn. Patronis, Mecenatibus, Affinibus ac studiorum suorum Fautoribus & Promotoribus unicè colendis, in debitæ observantiæ signū, grati animi symbolum & studiorū suorum commendationem, hanc Dissertatiunculam Politicam offert & consecrat

AUTOR ET RESPONDENS.

Σὺν Θεῷ

QVÆSTIO I.

UTrum apud Dan. c. 2. v. 40. per Tibias ferreas, & pedes ferro ac luto permistos magnæ imaginis, quæ Nebucadnezari in somnio apparuit; ut & per Bestiam terribilem & duram valdè, dentes ferreos habentem, c. 7. v. 7. intelligatur Romanum Imperium, non verò Alexandri M. posteritas, ut volunt Franciscus Junius, Hugo Brugthonus, Polanus & alij.

NOn minùs verum, qvàm venustum ac elegans est, qvod habet Ovidius:

- - - - - Omnia verti
Cernimus, atq; alias assumere pondera gentes,
Concidere has.

Qvam Poëtæ qverelam omninò veritati consentaneam esse, ad oculum nobis commonstrant qvatuor illa summa mundi Imperia, qvæ licet totum ferme terrarum ambitum sibi olim subjectum habuerint: successivè tamen ruinam passi, ab alijs atq; alijs gentibus occupata fuerunt. Primum illud Assyriorum & Chaldæorum Imperium, & maximum qvidem & pretiosissimum fuit; ita qvidem, ut apud Dan. c. 2. nõ immerito Capiti aureô assimiletur: Qvemadmodũ enim aurum pretiosissimum est metallum, cæteraq; metalla omnia longè exsuperat: ita hoc qvoq; Imperium cætera regna omnia exsuperavit, interque ea primas obtinuit: verùm, cùm 1300. annos, teste Justino, floruisset, effœminatis Sardanapali actionibus permoti Medi & Babylonij, ducibus Arbace Medo, & Beleso seu Belocho, circa annum mundi 3077. ante Christum natum 871. descivere. Atq; ita Imperij Majestas ab Assyrijs ad Medos & Babylonios pervenit. Arbaces Medus, Assyrios & Medos sibi retinuit: Babylonios autem Beleso, rebellionis socio, concessit. Babyloniorum dehinc & Chaldæorum potentiâ in immensum penè auctâ, tota Imperij Majestas ad ipsos tandem transijt, in ijsq; hæsit, usq; ad magnum illum Cyrum Persam, qvi eam, victô Dariô Medô, & Babylone captâ, anno mundi 3412. ante Christum natum 536. ad Persas

transtu-

transtulit. Atq; sic constitutum fuit secundum magnum mundi Imperium, qvod Persicũ appellari consvevit. Verùm enim verò, qvàm longè hoc primum non adæqvaverit, satis pectus & Brachia argentea demonstrant; Dan. c. 2. v. 32. Ut enim argentum non in tantô pretiô habetur, in qvantô aurum : ita & hoc imperium non æqvavit præcedens. Cùm itaq; 208. annos, præter propter, durasset, ultimus ejusdem Rex Darius Codomannus, bis ab Alexandro M. Macedonum Rege victus & tandem â Bessô Satrapâ suo, anno mundi 3620. antè Christum natum 328. cæsus, è vivis abiit, occupatumq; Regnum Alexander M. in Macedonas ac Græcos transtulit, &, occupatâ Asiâ, duodecennio totum fermè terrarum Orbem sibi subjectum habuit. Atq; sic tertium magnum & Catholicum mundi imperium successit, qvod Græcum appellari solet, & apud Dan. c. 2. v. 32. per ventrem & latus ex ære denotatur. Verùm, nimis maturè defunctô Alexandrô M. regnum hoc mole maximum in plures partes discerptum fuit, Seleucus enim Syriam; Ptolomæus Ægyptum, Antigonus anteriorem Asiæ partem, Cassander Macedoniam & Græciam, alij alias partes regimini suo subjecerunt. Tandem Romani, captis omnibus illis regnis, & postremò etiam Ægypti regnô, qvod ultimum è Græcorum imperio restabat, anno mundi 3919. ante Christum natum 29. plenariè eversô, & in Provinciæ formam redactô, totum illud Imperium occupavere, atq; ita Monarchiæ decus plenè ad se transtulerunt. Atq; hoc jam est qvartum & ultimum magnum mundi & Catholicum imperium, qvod duraturum est usque ad consummationem seculi, sicuti Propheta Daniel expressè testatur. Denotant autem illud nobis partim *tibia ferrea & pedes ferro ac luto permisti magnæ imaginis*, Dan. c. 2. v. 40. partim *Bestia terribilis ac dura valdè, dentes ferreos habens* &c. Dan. 7. v. 7. Qvartum hoc imperij genus apud Prophetam, qvàm variè varij interpretentur, nemo est, qvi nesciat. Præ cæteris Franciscus Junius in c. 2. Dan. cum Hugone Brugthono, Polano & alijs detrahere Romano Imperio hoc decus conatur, dum in allegatis textibus à Deo non statum totius Orbis omnisq; ævi, usq; ad consummationem seculi, declarari, sed tantùm eum denotari statum, qvi populum Judæorum, h. e. Ecclesiam Israëliticam, ab Alexandri M. posteris oppressam, concernat, asseverat, his positis argumentis. Primò necesse esse ait, ut, si qvis hæc dicta ad Romanum Imperium accommodare velit, popularem statum, cum imperio unius, de qvo hic agatur, confundat. Deinde constare ait, à Rep. Romanâ in Judæ-

am

am nihil unqvam fuisse tentatum. Postremò, constituta Monarchia, sub Augusto, nihilô fuisse Judæam graviùs pressam tyrannide, dictitat, anteqvam exhiberetur Christus, qvàm sub Antiochis, cùm id secundum hos textus fieri debuisset. Verùm contrariam sententiam magis veritati consentaneam esse, satis constat è textu paulô diligentius inspecto, qvi ad Alexandri M. posteros, & ad Reges præsertim Syriæ neqvaqvã applicari potest. Prius dictum de tibijs ferreis &c. Dan. c. 2. v. 33. 40. 41. 42. 43. & seqq. qvod attinet, dicitur 1. (v. 40. & seqq.) regnum illud respectu præcedentium, valdè durum fore & contriturum omnia: Qvòd sanè de Alexandri M. posteris intelligi neqvit, qvi neqvaqvã contrivere omnia, sed potius ipsimet ab omnibus attriti & contriti sunt, ut historiæ satis testantur. Si qvis particulam, *Omnia*, ad solos Judæos & Ecclesiam Israëliticam referre velit, non video, qvô jure & qvàm commode id fiat. 2. Dicitur hoc regnum vel imperium unum futurũ, licet nunc valentiùs, nunc infirmiùs vim suam exserturum sit. Atqvi Alexandri M. regnum, in multa regna dilapsum fuit; qvæ sanè unum regnum vix rectè dixeris, nisi forte respectu originis & gentis dominantis. 3. Dicitur (v. 44.) id regnum ad illud usq; tempus duraturum, qvô Deus Cœli suscitaturus sit regnum nunqvam desiturum. Atqvi regnum Græcorum ultra seculum jam in Judæos dominari desierat, nascente Messiâ, eoq; tempore nón Græci, sed Romani, cùm apud Judæos, tùm alibi rerum potiebantur. Qvin & regnum Christi universale plenè tandem suscitari, h.e. ex Judæis & Gentibus colligi cœpit, post Christi ad cœlos ascensionem & ablegationem Apostolorum in orbem terrarum universum. 4. Dicitur (v. 45.) Regnũ illud qvartum eô ipsô tempore in mundo fore, qvô lapis ille è monte exscindendus sit, qvi omnia regna sit contriturus. Atqvi Græcum regnum eô tempore jam olim desierat, nec formaliter ampliùs in mundo erat. Ergo glossa Junij non qvadrat. Posterius dictum illud Dan. c. 7, v. 7. & seqq. qvod attinet, illud nihil planè ad Alexandri M. posteros pertinere videtur. Bestia enim illa, per qvam qvartum hoc regnum denotatur, infirmis illis ac impotentibus Græco-Asiaticis regibus neqvaqvam convenit. I. Ejus potestas major, terribilior, durior ac firmior omnib9 præcedentibus fore prædicatur. Atqvi falsum est, qvod ullus ex Alexandri M. successoribus, vel Alexandro M. vel præcedentibus Monarchis, imprimis Nebucadnezare, Cyro &c. fuerit potentior, aut majora damna ac mala Judæis, qvàm Nebucadnezar, intulerit. II. Dicitur

 hæc

hæc Bestia omnia pedibus suis conculcatura: qvod falsum de Græcis, qvi veriùs conculcati fuerunt, qvàm omnia alia regna conculcarunt. Instas, illud, *omnia conculcabit*, ad Judæos referendum: falsum: Antiochus Epiphanes qvidem affligebat aliqvandiu Judæos: sed non planè conculcabat. Qvin imò Judas Maccabæus & ejus fratres, multis prælijs victores, tandem Antiochi Successorumq; ejus Duces planè profligabant, & se in libertatem vindicabant. Qvis itaq; dicat, Judæos planè fuisse comestos, comminutos & conculcatos? III. Dicitur hæc Bestia diversa *ab omnibus Bestiis antegressis & decicornis*. Atqui Alexandri illi posteri ab Alexandro, ejusque regno diversi non fuerunt; sed fuerunt Græci, sangvine orti Macedonicô, in Græcâ Monarchiâ, sub Græcis legibus, moribus & ritibus Græcis imperitantes. Et unde, qvæso, decem illa cornua Antiocho Epiphani, qvi solus aliqvandiu fermè contra Judæos prævaluit? Imò major afflictio Judæis propemodum contigit â falsis fratribus & religionis Judaicæ desertoribus, qvàm ab ipsis Regibus. Vid. libri Maccab. IV. Dicitur illa Bestia permansisse usq; ad adventum filij hominis gloriosum ad judicium, seu usq; ad finem mundi. Atqvi ultra 1700. annos Græcorum in Judęos dominium nullum fuit, eorumq; Monarchia jam olim destructa est per Romanos, ut omnib9 notissimum est. Nihil efficiet, qvi Danielem, de primo Christi adventu aut ejusdem in cœlos ascensu, interpretari volet. Etenim cùm Christus in carnem veniret, Maccabæi eorumq; Successores jam olim jugum Grę-corũ â se rejecerant, eoq; tempore Judæi non â Græcis, sed a Romanis premebantur. II. Dicitur hæc Bestia duravisse usq; ad Filij Hominis adventum, atq; tum etiam residui bestiarum dominatus ablatus. Atqvi, qvocunq; te vertas, Græcorum dominatus ad neutrum Christi adventum usq; pertingit, nec, ipso sublato, reliqvi dominatus omnes destructi fuerunt. V. Dicitur illa Bestia occisa, perditumq; ejus corpus, ac traditũ incendio ignis: qvod, qvo pacto de Græco Imperio, seu de Alexandri M. Successoribus intelligi possit, viderint alij. Qvapropter de Alexandri M. Posteris atq; regno Græcorum allegatos scripturæ textus intelligi nec debere nec posse, satis, meô qvidem judicio, evictum est. Dicendum jam porrò esset, qvàm aptè omnia ad imperium seu Monarchiam Romanam congruant: verùm qvia illud â plurimis jam olim factum novimus, ad illos lectorẽ remittimus. Vid. Patres fermè omnes, beatus Lutherus, præstantissimi qviq; nostri seculi Theologi & Politici, Graserus in histor. Antichristi, & ipse Johannes Calvinus in 2. &

7. cap.

7. cap. Danielis. Rationes Junij & aliorum qvod attinet, illæ qvidem satis ingeniosæ & speciosæ sunt: veruntamen planè indissolubiles non sunt. Etenim qvod hic non tantum Status Ecclesiæ Judaicæ, qvatenus illa ab Antiocho Epiphane, alijsque Alexandri M. Successoribus, pressa & afflicta fuit, perstringatur, ex textu satis manifestissimum esse videtur. Loqvitur qvidem Spiritus Dei de qvatuor Summis mundi Imperijs in respectu ad Ecclesiam: verùm qvòd solùm de Ecclesiâ Judaicâ agat, id vix probari posse, existimo. Qvod in 1. argumento Junius confusionem Status Popularis & Monarchici in Romanô Imperio metuit, nullius momenti esse videtur. Unum idemq; Romanum est Imperium, sivè populariter sivè Monarchicè administretur, nec qvando ejus status seu administrationis modus mutatur, ipsum statim imperiū mutatur, sed semper unum idemq; manet. Qvod in 2. argumento dicitur, Judæos nihil circa primum Christi adventum â Romanis passos esse, falsum est: contrarium loqvuntur Histor. Vid. Josephus. Qvod autē illa mala, authoribus ipsis Judæorū principibus dissentientibus, Reip. Judaicę illata sint, parum sublevat. Posset idem qvoq; dici de malis sub Antiocho Epiphane, alijsq; Græcis Regibus acceptis, qvi itidem â sceleratis & perfidis civibus exstimulati Judæam afflixerunt. Qvid? Propheta non præcisè de statu Ecclesiæ & Reip. Judaicę ante & circa Christi adventum, sed de eodem, usq; ad totalem illius eversionem & excisionem, qvam, authoribus Romanis, non Græcis, annis, post Christi in cœlos ascensum 40. præter propter perpessa est, loqvitur. Unde sic argumentamur. A qvibuscunq; Resp. Judaica plurimùm mali accepit, miserrimè afflictata, conculcata, tandemq; planè eversa & deleta est, de illis hic loqvitur Daniel, ut & textus perspicuè ostendit, & collatio aliorum scripturæ locorum Dan. 9. v. 27. Matth. 24. v. 15. Marc. 13. v. 14. Luc. 21. v. 20. 21. 22. 23. 24. evincit. Atqvi non â Græcis, sed Romanis, in consummatione sui illa hæc omnia perpessa est, ut extra omnem est controversiam. Ergo non de Græcis Daniel, in citatis locis, sed de Romanis loqvitur, atq; ita per illud Regnum & Bestiam terribilem Romanorum intelligitur Imperium, qvod erat demonstrandum.

QVÆSTIO II.

Utrum Romano-Germanicum Imperium sit Monarchicum non Aristocraticum.

STatum uniuscujusq; Reip. vel Monarchicum, vel Aristocraticum, vel

vel Democraticū vel aliqvid ex his mistū esse, communis omniū Politicorum est assertio. Schönb. l. 5. Polit. c. 1. p. 475. Non immeritò ergo qværimꝰ, qvęnā & qvalis hujus nostri Romano-Germanici Imperij sit administratio, & ad qvam speciē seu formā referri possit ac debeat. Diversæ verò & pugnantes hic Politicorū sunt sententiæ. Bodinus lib. 2. de Republ. cap. 6. Aristocratiā evicturus hæc profert argumenta. 1. Ad qvos suffragiorum jus pertinet, ijdem majestatis jura imminuunt, atq; in se transferunt. Ad creatores Imperatoris jus suffragiorum pertinet. E. 2. Cuicunq; feruntur leges, ille non est summus Monarcha. Romano Imperatori à principibus Imperij leges feruntur. E. 3. Qvicunqve solus leges vniversales ferre non potest, ille non est Monarcha. Imperator Romanus leges universales ferre non potest. E. 4. Penes qvos est jus belli ac pacis decernendæ, illi jura majestatis habent. Constans enim Politicorum & ICtorum est sententia, infallibile signum esse absolutæ ac summæ potestatis, belli decernendi ac indicendi jus. Penes proceres Imperij, Electores præsertim, est jus pacis & belli decernendi ac indicendi: qvia inconsultis proceribus, intra vel extra fines Imperij, Imperator bellum suscipere non potest, juxta Capitul. formul. Sleid. l. 1. E. 5. Qvicunq; privatus est majoribus regalibus; ut sunt, exigere vectigalia, erigere telonia, imperare tributa; ille non est Monarcha. Imperator hisce privatus est: nihil enim horum potest, inconsultis proceribus, juxta capitulationis formulam. Sleid. l. 1. E. 6. Creatio summi Magistratus, majestatis proprium est. At judices cameræ Imperialis, atq; proceres imperij creandi potestatem habent. E. 7. De cujus famâ & fortunis ab alio cognoscitur, ille non est Monarcha. De Imperatoris famâ & fortunis judices cameræ Imperialis cognoscunt. E. 8. Qvicunq; est summus Monarcha, is Duces, Comites & Barones creare potest; ipse autem, qvia neminem mortalium superiorem agnoscit, â nullo creari potest. Imperator Romano-Germanicus à Ducibus & imperij proceribus creatur. E. 9. Majestas est summa in cives & legibus soluta potestas. Imperatoris Romano-Germanici potestas non est summa nec legibus soluta; qvia proceres Imperij superiores sunt, cùm qvòd Imperatori in comitijs leges ferunt, tùm qvòd constituendi & destituendi Imperatorem potestatem habent. E. 10. Potestas precaria, licet magna, summa tamen potestas non est. Bod: li. 1. c. 8. Imperator Romano-Germanicus summæ potestatis jura habet precariò. Status enim seu proceres Imperij eam revocare & Imperatorem deturbare de throno pos-

no possunt. E. 11. Si penes Imperatorem esset Majestas, Imperij principes essent Imperatoris fiduciarij. Atenim post inauguratum Imperatorem non Imperatoris sed imperij sunt fiduciarij. Bod. l. 2. de Rep. c. 6. E. 12. Cui Majestas competit, eidem & summa competit provocatio: hæc enim summæ Majestatis particula est. Bod. l. 1. c. 10. Sed Imperatori non competit summa provocatio: provocatur enim ad Cameram Imperij. E. 13. Qvicunqve alterius est tributarius, ille jura Majestatis non habet: tributi enim præstatio est subjectionis probatio. Imperator est tributarius Sultani Turcici. E. 14. Accedunt huc gravissimæ authoritates virorum Reipubl. Germanicæ peritissimorum. 1. Maximiliani I. qvi habitâ ad ordines Imperij oratione, coronam imperialem â Romano Pontifice accipere minimè necessarium sibi videri dicit, *cùm Imperij Majestas in ipsis ordinibus inesse intelligatur.* 2. Archiepiscopi Moguntini apud Sleid. lib 1. ad annum Christi 1519. pag. 12. qvi expressè testatur, *fortitudinem Galli ad Monarchiam spectare: Germanis autem inprimis Aristocratiam esse retinendam.* Hisce verò non obstantibus, contrariam sententiam veriorem, sanctiorem & humaniorem omninò esse putamus, idq; seqventibus potissimùm freti argumentis: I. Imperium Monarchicum est, qvando jura Majestatis & summę potestatis penes unum resident Bod. l. 2. de Rep. c. 1. Atqvi Majestatis jura resident penes unum ac solum Imperatorem. E. Assumtio probatur: Qvia majestas est summa in cives, & legibus soluta potestas in subditos. Bod. l. 1. de Rep. c. 8. Talem potestatem habet Imperator: Populus enim, latâ L. Regiâ, omne imperium & potestatem in eum contulit. Arum. in discur. ad aur. Bull. II. qvi hodieq; ab omnibus regibus & populis, tàm fidelibus, qvàm infidelibus, summus Monarcha salutatur, habetur & colitur, is etiam verè talis erit. Imperator â populis tam fidelibus, qvàm infidelibus summus Monarcha salutatur, habetur & colitur. E. verè erit. III. summus Monarcha ille dicitur, qvi nullius imperio tenetur, & cæteros cives tam universos, qvàm singulos coercere potest, definitore Bodino l. 2. de Rep. c. 2. Primum definitionis membrũ optimè Imperatori nostro Romano-Germanico convenit: Qvia nullius tenetur imperio, & neminem, nisi DEUM & ENSEM, Arum. disc. ad aur. Bull. agnoscit superiorem. Secundum membrum Bodinianæ definitionis itidem optimè convenit Imperatori nostro: qvia non solùm omnibus & singulis imperat, sed etiam omnes & singulos coërcet, in omnes & singulos animadvertit. Unde IV. sic colligimus: Qvi

 omni-

omnibus & singulis Imperij civibus, non tantùm simpliciter, sed etiam ex plenitudine potestatis imperat, ille est summus Monarcha. Bod. l. 2. de Rep. c. 2. Imperator omnibus & singulis ex plenitudine potestatis imperat. E. V. Si imperator omnium statuum & Procerum Imperij est Dominus Clementissimus, utiq; omnium etiam supremus, & summus Magistratus est. Sed verùm priùs. Ergo & posteriùs. VI. Cui omnes & singuli Obedientiam & Subjectionem, tanqvam Domino & summo magistratui, debent, is utique omnium, ex naturâ Relatorum, est supremus, & jura majestatis, qvę cum Superioritatę summa convertuntur, habet. Atqvi omnes imperij Status ac Proceres Imperatori, tanqvam Domino ac summo magistratui, obedientiam ac Subjectionem debent, & *suæ Majestatis*, sine hæsitatione, *subjectissimos* se omnes, in subscriptionibus literarum ac supplicationum, ultrò fatentur. E. VII. Homagium præstare nihil aliud est, qvàm subjectionis, & obedientiæ juramentum præstare. At principes & status imperij præstant imperatori nostro Homagium, non tantùm fidelitatis sed etiam subjectionis. E. IIX. Ad Majestatem pertinet fidelitatem & obseqviũ, sine cujusqvam exceptione, recipere. Principes & Proceres Imperij nostri Romano-Germanici, imperatori nostro præstant obseqvium & fidelitatem, sine cujusqvam exceptione, ut videre licet ex formula Juramenti. E. Hisce firmissimis argumentis evidentissimè probatum & demonstratum est, Imperatoris potestatem summam esse; legibus itidem illam solutam esse, in contrariorum argumentorum resolutionibus demonstrabim9. Resp. itaq; ad majorem primi argumenti, 1. illam non esse universaliter veram: nec enim perpetuò id ipsum accidit. Qvin & â positione unius facti non seqvitur positio alterius. 2. Argumentum desumtum esse â merè contingentibus, de qvibus non est certa & determinata veritas. 3. Illationem esse facti, qvæ probanda est. Nam qvæ facti sunt, non præsumuntur, nisi probentur. At ipse Bodin9 fatetur, qvòd, qvando Principes jura suffragiorum in se transtulerint, scripserit nemo. E. primus scriptor erit Bodinus. Distingvendum qvoq; semper in hac qvæstione est, 1. inter imperij Romani statum, & inter ejusdẽ administrationem: Ille Monarchicus est: hæc harmoniam qvandã administrationis mixtæ habet. Atqvi administrationis mixtę harmonia status simplicitatem neqvaqvam tollit. Vin' Exemplum? Paterfamilias, qvatenus toti imperat familiæ, regiam sustinet dignitatẽ: qvatenus cũ uxore de familiâ consultat & disponit, Aristocraticus est; fratrum deniq; æqvalitas Democrati-

mocrati-

mocratiam repræsentat. Sicut verò Paterf. dum leges familiæ, ex consilio & consensu uxoris, præscribit, eamq; sic administrationis seu gubernationis participem facit, & cum filijs operatur in commune bonũ, se non spoliat suâ authoritate & supremâ dignitate: Ita imperator, etsi eum communicato Procerum consilio agit, eorumq; suffragia admittit, non tamen supremâ dignitate & potestate se exuit, aut Majestatem, qvæ respectu status ipsi convenit, cum illis communicat. Qvod satis exinde liqvet, qvòd Comitia Imperij, absente Imperatore, in effectum deduci non possunt. 2. Inter Imperatorem constituendum & constitutum. Hic jam, postqvam omnis in ipsum translata est potestas, solus habet Majestatem, omnesq; status ac principes homagium & juramentum fidelitatis ei præstare coguntur, ipsi etiam Electores: Ille, qvia imperium non hereditariũ, sed electitium est, nondum Majestatem habet, sed eam ab electoribus, seu imperij ephoris, nomine ordinum & statuum imperij, per electionis actum conseqvitur. Resp. ad 2. 1. Limitando majorem hoc modò: Cuicunq; feruntur leges, tanqvam â superiori, seu ab eo, qvi ipsemet majestate coruscus, ex se & per se, potestatem ferendi leges habet, atque ita ἀνυπεύθυνος est, ille non est Monarcha. II. Minorem ex Majori ita illatam præcisè negando. Qvando enim 1. in Electionis actu, per Capitulationem, ad certas leges fundamentales fit obligatio, tunc electores non, ceu superiores, ferunt leges, sed, ceu ephori imperij, ordinum ac statuum nomine, pro more imperij, leges antea latas proponunt, ut, ante factam electionem, in illarum ratihabitionem & observationem fiat promissio. 2. In alijs conventibus imperij proceres non ideo ad comitia convocantur & conveniunt, ut imperatori leges ferant, sed ut, proponente ac præsidente imperatore, tanqvam summo capite ac domino, de rebus ad tranqvillitatẽ & salutem imperij pertinentibus, unà cum imperatore consultare, deliberare & concludere possint. Si verò communi imperatoris & statuum suffragio leges in comitijs constituuntur, ijs qvidem imperator noster Romano-Germanicus, si publicum statum concernant, postea, tanqvam ex contractu, ipse obligatur, verùm alieno imperio, ceu superiori, neqvaqvam constringitur. Aliud itaq; est, legibus obligari ex conventione, aliud ex imperio. Paurn. de Jurisd. l. 2. c. 2. num. 31. Resp. ad 3. circa majorem; ad essentiam majestatis non pertinere leges concernentes universum Reip. statum, pro lubitu ferre. Nam licet hæ cum consilio & suffragio Procerũ ferantur; majestatem tamen

 non

non abſorbent, præſertim ſi ſummus Princeps ex mutua ſtatuum conventione ad id obligetur. Qvin imò in omni Monarchia debet eſſe cujusmodi obligatio: ut in alijs qvoq; regnis, Galliæ, Hiſpaniæ, Daniæ, Sveciæ &c. videre eſt. Reſp. ad 4. circa min. Penes Proceres non eſſe poteſtatem belli & pacis indicendæ ac decernendæ. Qvia hæc poteſtas majeſtatis & ſupremæ poteſtatis ſymbolum eſt: ideoq; in crimen læſæ majeſtatis incidit, qvi bellum in imperio Romano, contra pacis publicę ordinationem, ſine indultu imperatoris movet. Nec ſubſumtionis adducta probatio hoc oſtendit: non enim ſeqvitur, imperator non poteſt, inconſultis Proceribus imperij, de rebus imperij bellum ſuſcipere. E. Penes proceres eſt hæc poteſtas. Si enim non poteſt ijs inconſultis: E. conſultis poteſt. Qvamobrē ſtatuum conſenſus in bello decernendo majeſtatem imperatoris non tollit, ſed æqvitatis & moderatæ rationis condimento temperat. Ad 5. eadem qvadrat reſponſio. Imperator n. ordinum conſenſu exigit vectigalia atq; erigit telonia, nec ordines in ſuis ditionibus, ſine imperatoris conſenſu, vectigalia erigere poſſunt. Reſp. ad 6. Imperatorem Romanum adhuc hodie ſummos magiſtratꝰ creare. Solus enim Imperator Reges creat, inq; imperio Romano Duces, Marchiones, Comites & Barones, qvi ſanè ſummi, poſt Principem, in imperio magiſtratus ſunt. Qvod verò cameræ judicium attinet, non propriè illud Magiſtratibus Romanis, qvorum creatio olim populo reſervabatur, aſſimilatur. Unde nec cameræ magiſtratꝰ, ſed cameræ judicium dicitur. Deinde in ipſâ cameræ inſtitutione, potiſſimas partes imperator obtinet. Jlle ſiqvidem ſolus hujus judicij caput, videlicet ipſum judicē conſtituit, qvi vel Princeps, vel Comes, vel Baro eſſe debet. Qvin imò Imperatoris nomine, authoritate & ſigillo, omnia mandata pœnalia & alij proceſſus expediuntur. Unde in Supplicationibus alijsq; ſcripturis & Productis ſolus Judex, prēmiſſo honoris titulo, appellatur: **Römiſcher Käyſerlichen Majeſtät Cam̃errichtern/ etc.** Et ipſum judicium Cæſareæ Majeſtatis judicium paſſim dicitur: **Jhrer Majeſtät Cammergericht**/ item, **daß Käyſerliche Kammergerichte**/ item, **der Römiſchē Königlichen Majeſtät Cammergericht etc.** R. ad 7. Bodini argumentū, non refutatione dignum illud eſſe. Qvis enim unqvam, niſi jurium imperialiū omnino ignarus, affirmare auſit, camerā de Imperatoris famâ, capite ac fortunis omnibus judicare poſſe. Verùm videtur Bodini ſententia adhuc confirmari exinde, qvod extent præjudicia cameræ, ex qvibus apparet, imperatorem ali-

rem ali-

rem aliqvando in camerâ citatum: sed facilis ad hoc responsio: Qvia citari & conveniri fortè posset imperator in camerâ, non tanqvàm imperator, sed tanqvam Archidux Austriæ, vel alius imperij Princeps, qvod non absurdum, cùm eadem persona diversis qvalitatibus prædita, pro diversa habeatur, diversoq; jure censeatur. Sed posito, qvòd fortè Imperator in camera conveniri possit; non tamen propterea ej9 majestas statim excesset & evacuaretur. Nam & Rex Galliæ, teste ipso Bodino, in Parlamento conveniri potest, qvem tamen nemo ideo majestate Regiâ orbare audebit. Resp. ad 8. calumniosam illud argumẽtum continere illationem. Qvis enim unqvam tam ignarus rerum, cui sit ignotum, Imperatorem Duces, Comites, Barones Nobilesqve creare posse, & ex eo, tanqvam fonte perenni, nobilitatis horum dignitatem originaliter ac radicaliter profluere? Nec qvicqvam obest, qvòd ipse Imperator â Ducibus creetur. Creatur qvidem, sed diversimodè. Non enim ab omnibus imperij ducibus, sed à solis Electoribus, tanqvam summum caput, creatur. Arum. disc. ad aur. Bull. Duces verò ac Comites ab Imperatore, tanqvam pia & subjectissima illius capitis membra, creantur ad sustentandam ac declarandam Imperatoris & imperij Romani Majestatem & dignitatem. Sicuti enim liberâ & florente Republ. populus Romanus Regem esse jubebat, sic posteriore ævo Princeps, Dux, Comes extitit, qvem Imperator talem fecit. Schonb. l. 5. Polit. c. 15. Deinde Electores Imperatorem non ex gratiâ & puræ voluntatis libertate constituunt, sed ex officij necessitate & jurisjurandi religione, qvâ, vacante imperij sede, ad eligendum novum Imperatorẽ obstringuntur. Aur. Bull. tit. 1. Maximum deniq; discrimen est inter creationẽ seu electionem Cæsaris semper Augusti, & inter creationem Ducum & Comitum, qvæ nihil aliud est, qvàm novæ saltem dignitatis, Majestati subjectæ, collatio: cum illa sit plenitudinis, majestatis ac superioritatis in imperio in electum collatio. Est itaq; argumentũ â baculo ad angulum. Resp. ad 9. Qvod Imperator Romanus summam habeat potestatem, suprà probatum, illaq; falsa Bodini hypothesis; *Qvod proceres imperij in comitijs Imperatori leges ferant; satis refutata est.* Alteram hypothesin qvod attinet, *de legibus soluta potestate*; qvam pariter Imperatori nostro denegat Bodinus; Imperatorẽ nostrum legibus solutam potestatem habere, tam certùm, qvàm qvod certissimum esse dicimus. Neq; contrà facit, qvod Imperator in qvasdam imperij leges fundamentales jurare tenetur. Nam hisce legibus

Principem solvere, qvibus imperij dignitas, Reip. status ac salus continetur, qvid aliud esset, qvam Imperatorem & imperium pessumdare? Anomala isthæc esset Majestas, & non Regia, sed bestialis potestas, sine modo, lege & ratione, pro lubitu summa imis miscens, neq; ad Monarchiam, sed ad dominatum illegitimũ & tyrannidem pertinens. Deinde ex ipsâ Monarchiæ definitione Bodini; *Monarchia est, ubi unus rerum summâ potitur & certis legibus imperat*; colligimus Imperatorẽ nostrũ verè esse Monarcham, cùm & ipse certis legibus imperet. Neq; ex tertia hypothesi, qvam in seqventi argumento examinabimus, aliqvid cõseqvitur. Resp. ad 10. negando, Imperatorem jura Majestatis habere precariò, & ad nutum Procerum; uti & illud, qvod Proceres imperij pro lubitu Imperatorem deponere possint. Qvòd enim Electores Imperatorem deponere possint, illud non regulari, sed irregulari jure evenit. Nam Electores & Proceres Imperatorem legitimè in regimine constitutum deponere non posse, veriùs est, qvàm ut ullâ probatione indigeat. Post electionem functi sunt officio suo Electores, ac Imperatori majestatem imperij contulerunt, fasces submiserunt, fidelitatis & subjectionis juramento ad obedientiam & observantiam se obstrinxerunt. Itaq; pro lubitu eundem deturbare non possunt. Si verò talis imperator, qvi fundamentales imperij leges violet, datam fidem negligat, non tanqvam imperator, sed ut fidei ac juris temerator removetur. Atq; ita non tam Electores deponunt imperatorem, qvàm is semetipsum deponit; non adimplendo eas conditiones, qvibus majestatis plenitudo ipsi collata est. Qvid? non solùm in Romano-Germanicô imperiô istiusmodi depositionum exempla habentur, sed in ipsa etiam Galliâ, alijsq; regnis fermè omnibus, qvibus ab ipso etiam Bodino, majestas ac potestas Monarchica tribuitur, sicut historiarum annales satis testantur. Dicimus ad 11. Bodinũ evidenti veritati evidenter convitium facere. Certum namq; est imperatorem solum habere potestatẽ de majoribus feudis, regalibus ducatuum, investiendi & cognoscendi &c. Itaq; illi & ipsius erunt Vasalli & imperij. Deinde notũ est, qvòd juramentũ fidelitatis imperatori & imperio præstent omnes imperij principes. Itaq; non solius imperij, sed & Imperatoris & Imperij erunt fiduciarij. Resp. ad 12. ex ipso Bodino, qvi lib. c. 10. p. 245. extremam provocationẽ non pertinere ad jura Majestatis asserit. A lege autem illâ, qva à Cameræ imperialis sententia appellare aut supplicare nefas est, Ordin. Cam. p. 3. tit. 51. Imperator, cum per modũ conventio-

ventio-

ventionis lata sit, solutus non est, nec contra eam aliqvam supplicationem vel provocationē à Cameræ judicio recipere potest. Datur tamen aliud hac in parte remedium, videlicet REVISIONIS, de qvô latè in ordin. cam. p. 3. tit. 53. Deinde camera est uti vicaria Imperatoris Jurisdictio. Jam verò appellatio non datur à vicario ad eum, cujus est vicari9, cum utriusque tribunal idem sit. Deniq; cameræ judicium subsidiariū est, nec adimit in totum imperatori provocationis jus, cum ex receptâ Dd. sententiâ, is concurrentem cum camerâ habeat jurisdictionem. Resp. ad 13. ex hoc qvod imperator certam pecuniam seu annuam pensionem exsolvit Turcico imperatori, propter tranqvillitatem & pacem publicam, ne milites ejus excursionibus & vastationibus, regionū suarum finibus damnum inferant, majestas ejus non patitur naufragium: cùm enim propter fœdus cum hoste percussum detur, non est, fatente ipso Bodinô l. 1. de Rep. c. 9. p. 224. tributum, sed pensio. Qvid? nec nomine Romano-Germanici imperij datur hęc pensio, sed respectu regni Hungariæ, qvod ad imperium non pertinet. Et si hinc Majestas Imperatoris nostri detrimentum aliqvod caperet, nec ipse Turcarum Imperator illius particeps esset, Regi Æthiopum, & illis populis, qvi Arabiæ montes tenent, magnam pecuniam, tributi nomine, qvotannis solvere cogitur. Resp. ad 14. 1. Maximiliani I. authoritatem qvod attinet, ea nos non ferit. Loqvitur imperator de imperatore constituendo, non constituto, qvod nimirum Majestas, defuncto imperatore, & vacante imperio, ad proceres imperij, seu ipsum imperiū, relabatur, nō ad Pontificem: ideoq; à Proceribus imperij, non à Pontifice Romano in novum Principem seu imperatorem conferatur. Non itaq; Maximilianus imperator vel sibi, vel aliis suis successoribus Majestatem adimit, sed eandem à sacrilegiô Romanorum Pontificum liberat. 2. Nec Archiepiscopi Moguntini authoritas sententiam nostram evertit. Etenim loqvitur is non de statu imperij, qvi semper est & manet Monarchic9, sed de administratione, qvæ licet status Monarchicus maneat, Aristocraticè tamen fieri potest. 2. Appellatur Aristocratia nō absolutè & κατὰ παντὸς, qvod ex toto sit Aristocratia, sed comparatè & κατά τι, qvod nimirum respectu aliorum regnorum, qvę absolutum dominatum experiuntur, multum temperamenti Aristocratici habeat. Qvid? si imperiū Romano-Germanicum esset pura puta Aristocratia, qvid opus esset electione imperatoris, ac tali qvidem, qvâ plenitudo potestatis ac Majestatis in ipsum conferretur. His itaq; argumentis resolutis, & destructis Imperi-

um Ro-

um Romano-Germanicum verè manet Monarchicum, qvod erat demonstrandum.

QVÆSTIO III.

Utrum summa Imperij Romani sit praeminentia.

IN præcedente qvæstione, statum imperij Romano-Germanici Monarchicum esse, Majestatemque ac summam potentię plenitudinem Imperatori, ceu summo ejusdem capiti, verè competere demonstratũ est: firmis nunc portò rationibus, ejusdem cùm Imperatoris, tùm Imperij summam qvoq; esse præeminentiã, ostendendum. Ad qvod non parùm momenti, meô qvidẽ judiciô, habebunt seqventia argumenta. I. *A status & conditionis qvalitate.* Imperium Romano-Germanicum non solùm est unum ex qvatuor illis summis & Catholicis mundi imperijs seu regnis, qvæ Deus ipse eximiis prærogativæ encomiis in verbò suo exornavit, & supra omnia alia mundi regna sublimavit: sed ipsis etiam longissimè antecellit: cujus Deus per Prophetam Dan. c. 2. v. 48. & c. 7. v. 7. magnam & cum ævo duraturam felicitatem ac potentiam prædixit, ut supra qvæst. 1. satis probatum. II. *Ab antiqvitatis præcellentiâ.* Qvò qvid antiqvius est, eò in genere suo censetur nobilius dignitatis ordine. Nullum autem in universo terrarum orde regnum antiqvius est Romano imperio, qvippe cujus origo ex Trojano emersit excidio, juxta Veneris apud virgilium Æneid. 1. effatum:

Certè hinc Romanos olim, volventibus annis,
Hinc forè ductores, revocato â sangvine Teucri,
Qvi mare, qvi terras omni ditione tenerent,
Pollicitus.

Et paulò post:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi.

Nihil hic dicam de Corith-Janigenis & Aboriginibus, qvi statim post universale mundi diluvium, teste Beroso regnarunt, & aqvilæ Romanæ prima incunabula præbuerunt. Vid. inter alios Johannes Henricus Alstedius Encyclop. l. 18. Systém. Polit. 2. c. 18. p. 2643. III. *Ab urbis Romæ Majestate & praeminentiâ.* Roma est, a qvâ imperium nostrum denominationem, robur ac incrementum suum accepit, qvę orbis terrarũ Domina & Regina multis retrò seculis credita ac habita est. Bod. l. 1. de Rep. c. 9. Unde & Lipsius de magn. Rom. l. 1. c. 2. *Romam* vocat

cat *Mundi caput, mundi miraculum.* Ludovicus IV. Imperator usus fertur, in sigillo suo, hac inscriptione:

Roma caput mundi regit orbis frena rotundi.

Fabulantur Poëtæ, diu qvæsitum esse:

- - - - *qvâ tandem poneret arce*
Terrarum Fortuna caput.

Et visum superis tandem, nil posse huic rei aptiùs Româ inveniri. Unde iste vulgaris versiculus originem traxit:

Roma locus dignus, qvò DEus omnis eat.

Et illud Virgilij in Bucol. Ecl. 1. de Urbis Romanæ magnitudine encomium:

Verùm hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Qvantum lenta solent inter viburna cupressi.

IV. *A felicitate & incredibili firmitatis præstantiâ.* Siqvidem felix Romanorum genus omnibus anteponitur nationibus, & supra omnem omnium regnorum ac imperiorū magnitudinem ascendit splendore, &, qvod proprium ejus est, Majestate. Heins. orat. 10. Firmitas ejus spectatur in munitionibus per Copias & Colonias. Copię in universum terrestres & navales erant suprà qvadringenta millia ordinariorū militum. In Provincijs qvippe copiæ legionum, cohortiū & alarum non pauciores fuerunt ducentis qvinqvaginta millibus, aut circa. In classibus haut pauciores centum millibus, cùm militum, tum remigum. *Terrestres copiæ* duplices erant: *Provinciales & Urbanæ.* Provinciales fermè disponebantur in locis longinqvis & limitaneis, qvo miles subditis minori esset oneri, in hostes maximo usui. Paucæ disponebantur in locis interioribus, in oppidis videlicet magnis & validis, ideoq; motui & rebellioni obnoxijs: *Urbanæ copiæ* sedem suam habebant Romæ fine duplici: cùm ut Principem in eâ tuerentur, tum ut essent pro Urbe. Erant ibidem milites Prætoriani, divisi in novem cohortes; Evocati, qvi erant eqvestris ordinis juvenes, cubicularij & Batavi. Erant cohortes *officiales* & *ministeriales:* illarum erat noctu excubare, ac stationes agere contrà grassatores & sicarios: harum, tueri urbem adversus incendia. *Navales seu classicæ copiæ* piratas cohibebant & hostes excludebant: erantq; vel Maritimæ vel Fluviales. Illarum duæ majores dicebantur *Prætoriæ*: duæ minores simpliciter dicebantur *classes.* Harum prima (Germanica dicta) in Rheno, altera in Danubio, tertia in Eu-

phra-

phrate constituta. Colonias seu novas urbes, ex urbe Roma prosemi-natas Onuphrius lib. 3. descript. Imperij fol. 346. intra Italiam recenset 98. ijsq; in subseq. adjicit insuper 64. Extra Italiam longè plures, qvæ videantur ibidem fol. 464. & seqq. Erant etiam plurima municipia, qvæ recensentur ibidem fol. 354. Ne qvid dicam de innumeris fermè Provincijs atq; regnis, qvæ in immensum penè augebant imperij robur ac potentiam. V. *Ab amplitudine finium, opum item, ac operum magnitudine.* Fines Romani Imperij sub Augusto erant ab Oriente Euphrates: à meridie cataractæ Nili, deserta Africæ & mons Atlas: ab Occidente Oceanus: à Septentrione Danubius & Rhenus. Sub successoribus termini longè fuerunt majores, accesseruntq;, ne pluriũ mentionem faciam, sub Claudio, Britannia, sub Trajano, Arabia, Armenia, Mesopotamia, Dacia &c. Lautissimæ, lætissimæ & latissimæ provinciæ erant, *in Asiá*, Colchis, Iberia, Albania, Pontus, Bosphorus, Cappadocia, Galatia, Bithynia, Armenia, Syria, Arabia, Palæstina, Cilicia, Pamphilia, Lydia & Asia minor. *In Africâ* Ægyptus, Cyrenaica, Marmarica, Gætulia, Africa propria, Numidia, Mauritania, aliæq; Provinciæ minores. *In Europâ*, Italia, Hispaniæ, Galliæ, Inalpini, Rhætia, Noricum, Illyricum, Macedonia, Epirus, Græcia, Thracia, Mæsia, Dacia, Pannonia &c. Næ amplitudo omnem fermè terrarum orbem complexa! Verùm hic Heinsii effatum: *Nullum regnum huic magnitudine comparari potuit. qvod splendore & potentiâ terrarum fines egressum est.* Magnitudo opum verbis, numeroq; fermè comprehendi neqvit. Vid. de ijs breviter differens Alstedius in Encyclop. l. 18. Syst. Polit. 2. c. 18. p 2647. Operum qvoq; magnitudinem & multitudinem videsis ibid. in subseqvent. VI. *A virtute Romanâ*, cui nihil nimis arduum, difficile & insuperabile fuit, cuiq; fermè omnia mundi regna & ferocissimæ qvæqve gentes ac populi colla superba subdiderunt. Vid. Romani Historici & Alst. loco cit. VII. *A Majestate populi*, in qvem tandem Romanum imperium translatum, nimirum GERMANORUM, de qvibus Bodinus urgente veritate coactus, in meth. hist. c. 5. hæc publicè profitetur: *Germani*, inqviens, *humanitate Asiaticis: militari disciplinâ Romanis: religione Hebrais: Philosophiâ Gracis: Geometriâ Ægyptijs: Arithmeticâ Phœnicibus: Astrologiâ Chaldais: opificiorum varietate populis omnibus facilè superiores videntur.* Vid. Cajus Cornelius Tacitus de moribus Germanorum & alij. IIX. *A tacito omnium Regum ac populorum consensu*, qvi ad Imperij Romani fastigium, tanqvam summum honoris

cul-

culmen ambitiosè anhelarunt, & Aqvilæ Romanæ plumis se exornare desiderarunt. IX. *Ab ipsius Imperatoris Turcici, hereditarij & infensissimi Imperij Romani & totius Christiani orbis hostis, testimonio.* Hic enim Imperatorem agnoscit præcipuum Christiani orbis caput, & usitato stylo tali dignatur titulo: **Auß den Potentaten JEsu der führnemster / vnd zwischen dem Geschlechte JEsu erwehleter fürnembster HERRE** &c. Nec id solùm verbis, verùm etiam re & factô declarat. Siqvidem missi ad Turcam Romani Imperatoris Legati, præ aliorum Principum Legatis, primum locum occupant, nec stando, ut aliorum Principum Legati, sed sedendo mandata sua coram Sultanô exponunt. *Arum. de Jure publ. disc. I.* X. *Maximè praeminentiam Imperatoris auget, qvod Imperator Romanus multorum Regum exstitit creator.* Henricus V. Imperator Uratislaum Ducem Bohemiæ regio titulo exornavit. Dubr. l. 9. Otto III. Boleslao Acri Polôniæ Principi summa regij culminis axiomata contulit. Neq; hîc audiendi, qvi dicunt, primò, qvòd Reges in suo regnô majorem habeant potestatem, qvàm Imperator in imperiô. Deinde, qvod Christus, Joh. 8. Rex, non Imperator appellatus fuerit. Tertiò, qvod afferente *Zoanetto*, Imperij Romani vertex & cerebrum sit Pontifex. Qvartò, qvod alia regna longè sint ampliora & potentiora, qvàm Romano Germanicum; veluti Turcicum, Hispanicum & alia. Facilis namq; harum objectionum est resolutio. Ad I. Resp. Si intelligitur de potestate iniqvitatis, facilè concedimus, secus, si de plenitudine Majestatis & supremæ dignitatis, cui omne regnum meritò cedit. Qvid? & hoc regerimus, qvòd Imperator creare potest Reges, qvod utiq; Rex alius non potest: qvippe qvi sibi non creat parem. Ad II. Resp. I. Qvod Christi regnum non fuerit de hoc mundo. II. Qvòd dictus fuerit Rex more Judæorum, qvi Regem proprium habuerunt, anteqvam sceptrum de Judâ ablatum esset, Imperatorem nunqvam. III. Acceptamus hoc argumentum, & ita inferimus: Christus fuit Rex, & tamen in temporalibus subjectionem & tributum Imperatori non denegavit; idem ergò & alios Reges facere decebat. IV. Omnis Imperator etiam Rex est; qvia priùs in Regem Romanorum eligitur, qvàm in Imperatorem; verùm non contrà. Aur. Bull. tit. 2. Ad III. Resp. præjudicio, qvod omne tollit judicium, laborare Zoanettum, neq; facere ipsum potuisse, qvin, exemplo Baldi, in ditionibus Pontificem pro numine colentibus, hanc sententiam defenderet. Ad IV. Resp. I. Summum Imperij axioma non esse æstimandum ex regno-

rum qvantitate, sed ex jure partim successionis, partim gubernationis. Schönb. lib. 5. Polit. c. 5. p. 491. II. Distingvendũ esse inter Imperium Romano-Germanicum & Regnum Germanicum. III. Statum qvantitatis esse vel amplitudinis vel Majestatis: ibi Physicam, hic Politicam qvantitatem spectari,

QVÆSTIO IV.

Utrum Romani Imperij ad Germanos translatio, ac primùm qvidem ad Francos; hinc ad Saxones, Papæ Romano, tanqvam causæ principali, adscribenda.

Bodinus in eô totus est, ut contendat Romanum Imperium à Græcis ad Gallos translatum esse; hoc, ut obtineat, Carolum M. natione Gallum, non Germanum fuisse, l. 1. c. 9. asserit. Refert autem, Carolum M. natione Gallum in Germaniam qvidem migrasse, sed inde in Galliam redijsse, & Germanis Francis stipatum, jure belli, Italiæ dominium nactum esse. Verùm Bodini opinionem esse falsissimã patet exinde, qvòd nostro qvoq; idiomate diversissima sint, Francke & Franzosen. Deinde non tantùm ex historicis patet, Carolum M. natione fuisse Germanum, verùm etiam ipsius patrem Pipinum; de qvo constat, qvòd in Franciâ Germanicâ ortus & educatus fuerit: qvomodo a. & qvâ ratione in Galliam venerit, & sub Hilderico, Gallorum Rege, major domus, atq; deinde Rex Gallorum factus fuerit, vid. histor. Regino l. 3. Guaguinus l. 4. c. 1. & seqq. Æmilius Veronensis rerum Francic. l. 2. Sigebertus in Chronico. Eginhardus in vitâ Caroli M. Jacobus Himphilingius tract. sing. cui titulus, Carolus M. Germanus. Carolus Sigonius de regno Italiæ l. 3. circa finem, & l. 4. p. 143. & seqq. Sleidanus de qvatuor Monarchijs l. 3. à princ. Flaccius Illyricus, Franciscus Junius, Henningus Arnisæus, Dresserus de translatione imperij ad Germanos, & alij longè plures. De Carolo M. filio Pipini, Francorum & Gallorum Regis, ex prædictis authoribus manifestè constat, eum natione Germanum fuisse. Nam Germanico idiomate Grammaticam conscripsit, Crantz. l. 2. c. 8. rer. Saxon. & cætera omnia linguâ Germanicâ peregit. Fallò ergo asserit Bodinus, Franciam nostram Germanicam partem fuisse regni gallici, & Imperium Romanũ Occidentale â græcis non ad germanos, sed ad gallos translatum fuisse. Falsissimè porrò Pontificij, in ijsq; Bellarminus, & Baronius præcipuè translationem imperij ad germanos, Papæ Romano, tanqvam causæ principali, adscri-

scribunt, qvorum rationes hæ sunt. I. Leo 3. ex gratiâ, ob multa Germanorum merita, Carolo M. Imperium Romanum donavit. II. Idem Pontifex Carolum M., sicut & alios seqventes Imperatores Germanos, seqventes Pontifices coronarunt, ut patet ex historijs. III. Ex literis Pontificum ad Imperatores hoc manifestum est. Sic enim Adrianus IV. ad Fridericum I. Imperatorem scribit: *Scire ipsum debere, qvòd, qvo jure Papa à Græcis Imperium ad Germanos transtulerit, eodem jure qvoq; idem Germanis rursum ereptum Græcis restituere possit.* Vid. inter alios Johannes Aventinus Annalium Bojorum l. 6. fol. 506. Hinc Bonifacius sic scribit: *Sumus ambo duo magna luminaria, dabimus ergo operam, ne per nostrum dissidium oriatur Eclipsis.* Sleid. lib. 6. Hinc omnia se posse instar DEI, falsissimè ore qvidem maximè impudenti & blasphemo gloriatur petulantissimus divinæ ac humanæ Majestatis contemtor. Contra Romanū Imperium non à Pontifice Romano, sed à DEO T. O. M. ad Germanos translatū esse, probamus his argumentis. I. Solus DEUS constituit regna, ac per eum Reges regnant & justa decernunt. Prov. 8. v. 15. Dan. 2. v. 21. Es. 45. Rom. 13. v. 1. II. Falsitatis arguit opinionem Pontificiorum populi Romani in coronatione Caroli M. solennis acclamatio, qvæ talis: *Carolo Augusto à DEO ordinato, magno & pacifico Imperatori.* Anastasius, Eginhardus, Sigonius & alij. III. Porrò eadem falsitatis redarguitur ex pacto illo, ab eodem Carolo M. Salisburgi, cum Græci Imperatoris Legatis, inito. Crantz. lib. 3. IV. Sic argumentamur. 1. Qvodcunq; Papa non habuit, id non potuit transferre in alios. Atqvi Occidentis imperium eô tempore non habuit. E. Minor patet. Qvia neq; jure divino, neq; jure humano, imò ne de facto qvidem habuit. *Non jure Divino*: qvia Christus ipse testatur regnum suum non esse de hoc mundo. Joh. c. 18. Secundò prohibet, ne Apostoli & eorū successores rebus secularibus se admisceant. Matt. c. 20. *Reges gentiū dominantur: vos autem non sic.* Et Joh. 20. *Sicut misit me pater, ita & Ego mitto vos.* Tertiò. Qvia praxis Apostolorum & Doctorum primitivæ Ecclesiæ planè est contraria. *Non jure humano*: Qvid enim hic adferre poterunt? Deinde manifestum est, qvod omne Occidentalis Imperij jus eô tempore apud Imperatores Græcos fuerit, qvod vel ipsi Pontificij confiteri coguntur, qvando dicunt: imperium Occidentale â Græcis ad Germanos translatum esse. A non habente nulla potest fieri translatio. Terminus *à qvo*, sunt Græci; *ad qvem*, Germani: intermedij nihil est. *Non facto*: De facto nemq; illud Longobardi, infensissi-

 mi Pon-

mi Pontificis Romani hostes tenebant, idq; non solùm acerrimè defensitabant, sed Papæ etiam patrimonium D. Petri, qvod vocant, eripere conabantur. II. Qvodcunq; partim jure belli, partim transactione cum græcis, partim etiam populi Romani suffragio Carolus M. habuit, id non Pontifici acceptum refert. Atqvi Occidentis imperium ita habuit. Ergo. Minorem si qvis negaverit, luce historiæ obrutus cadet. V. Refellunt nugas Papales, gravissimæ Imperat. ad Pontifices datæ responsiones. Sic enim Fridericus I. Imper. Adriano IV. rescripsit: *Qvòd potiùs debeat cogitare de sectandis Petri vestigijs, de cruce Domini portandâ, qvàm de regnis tradendis, adimendis & transferendis; cùm qvicqvid ipse & alij Pontifices habeant, ex largitione Principum tantùm obtineant.* Sic Henricus Auceps ad filium Ottonem I. *En tibi*, inqvit, *imperium, non à majoribus mihi relictum, sed per memetipsum acqvisitum, & à solo DEO concessum, trado.* Idem affirmat Archiepiscopus Mogūtinus, in Ottonis coronatione, his verbis: *En, adduco vobis Imperatorem à DEO electum.* Idem Otto, cùm persecutionem pateretur, *Ad vos*, inqvit, *ô Proceres regni, non ad Pontificem pertinet creare Imperatorem.* VI. Liqvidò idem demonstrat constitutio Friderici Imperatoris unanimi consensu procerum facta, qvam postea Ludovicus Bavarus Coloniæ promulgavit, in qvâ læsę Majestatis reus declaratur, qvi Imperium à Papa translatum asseverat. Hinc Maximilianus I. Coronam imperialem à Pontifice accipere noluit. Rudolphus Habspurgensis nunqvam in Italiam venit, qvi cùm ad instantiam Nicolai Pontificis Romam ingredi recusaret, apologetico scripto sic respondit.

me vestigia terrent,
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.

Sic Ferdinandum I. Maximilianum II. Rudolphum II. Matthiam I. &c. invictissimos Imperatores nunqvam Romæ coronatos esse, apud omnes notorium est. VII. Non à Pontifice olim, sed à Præfecto urbis, & nomine qvidem populi Romani, corona Cæsari imponebatur, cærimonias tantùm peragente Pontifice, sicq;, ante coronationem plenum imperij gubernaculum Cæsari competere, communi calculo traditur. Rationes in contrarium allatæ futilissimæ sunt, nullamq; merentur refutationem: imò ex ijs, qvæ dicta sunt, earum falsitas manifestissima est. De translatione imperij ad Saxones, qvæ Bellarminus habet, dum asserit Ottonem I. cognomento M. excluso Conrado & Henrico Aucupe, primum Germanum ex Saxonum familiâ fuisse Imperato-

peratorem Augustum, nullo veritatis fundamentō nituntur, & ab aliis jam olim confutata sunt evidentissimè. Vid. Matthiam Flaccium Jllyricum de translatione imperij, & alios. Nos ad seqventem progredimur Qvæstionē, ostensuri, non plus ad Electoralis Collegij fundationem Romanum Pontificem contulisse, qvàm ad Occidentalis imperij translationem. Sit itaq;

QVÆSTIO V.

Utrum Electoralis Collegij fundatio Papam authorem agnoscat, & qvando, ac per qvem cœperit.

ARdua sanè & difficilis hæc de Collegij Electoralis fundatione est qvæstio, cùm illam Pontificij Papæ suo in totum tribuere non vereantur. Nos tamen, cùm, ut Schard. in proæm. de orig. Elect. in rebus, ad decus Imperij Germanici pertinentibus, inqvit, *tùm alia complures sint digna liberalium ingeniorum cognitione, tùm verò dignissima investigatio historia de origine & institutione Principū Electorum*, paucis eam explicare conabimur. Si enim vel Genealogiæ illustris alicujus familiæ, vel originis præclaræ civitatis cognitio, homini in rerum liberalium studio versanti convenire putatur, qvantò magis cognitio ordinationis principum, rerum patriarum studioso convenientior honestiorq; erit? Electorum verò in imperio Romano tanta est dignitas, ut eos Carolus IV. *Imperij palmites imperiales, septem candelabra lucentia in unitate Spiritus septiformis, qvibus sacrum illuminari debeat imperium, columnas & latera, solidasq; imperij bases, & propinqviora Cæsaris membra vocet, qvæ, veluti columnæ sacrum ædificium circumspecta prudentia solerti pietate sustentent, qvarum præsidio dextera Imperialis roboretur, & orbi fluctuanti subveniatur.* De qvo sanctissimo Collegio magna & celebris est inter eruditos controversia, à qvô sit institutum. Sunt qvi id acceptum referunt Gregorio V. Papæ Romano: Sunt, qvi idem referunt ad Fridericum II. & Gregorium X. Sunt, qvi existimant, id non tàm expressâ & speciali constitutione institutum, qvàm antiqvâ consvetudine sensim introductum, hoc Caroli dicto moti: *Et Principes Electores ad electionem hujusmodi juxta antiqvam & laudabilem consvetudinem habuerint proficisci &c.* Si juxta antiqvam consvetudinem ad eligendum proficiscuntur, non utiq; constitutioni id tribui poterit. Arum. disc. III. ad Aur. Bull. Caroli IV. imperatoris. Utut verò sit, nos pervulgatam sententiam seqventes, Ottonem III. Imper. divinitùs excita-

citatum prima fundamenta huic collegio posuisse, statuimus. Notum namq; est ex historicis, Imperatoriam Majestatem à Carolo M. ad Germanos translatam esse, & tunc temporis electionem & institutionem imperatoris penes imperatorem ipsum constitisse, qvi vel filium, vel cognatum in locum suum substituebat. Mascula verò Caroli M. stirpe sublatâ, universus Francorum & Saxonum populus, Germanorumqve Procerum concursus ad Ottonem, Saxoniæ Ducem factus est. Verùm oblatum regnum repudiavit, excusationem decursę ætatis prætendens, ideoq; populus & Proceres Germanorum imperium Conrado Francorum Duci detulerunt, qvi moriturus, Henrico Aucupi tradidit: hic ad filium Ottonem M. & nepotem Ottonem imperatoriam Majestatem transmisit. Qvo ultimo defuncto, à Germanis Proceribus, qvi tunc freqventes Romæ erant, de successoris electione, varia certamina sunt excitata. Alij enim Henricum Bavarum, alij Ottonem III. Ottonis M. nepotem imperatorem cupiebant. Germanis ergo Proceribus in contraria studia euntibus, Crescens Nomentanus Consul factus, seditione excitatâ, imperij titulum adsciscere sibi gestiebat, ægrè admodùm ferens, imperium Romanum ad exteros esse translatum. Proceres ergo imperij Germanici, apud qvos longo jam tempore imperij Majestas consederat, Ottonem Bavaro præferunt, & imperatorem declarant. Crescens Nomentanus verò semel atq; iterum magis magisq; imperio inhians, Gregorium Pontificem dejicit, aliumq; adulterinū substituit. Qvibus commotus pervalde Otto, exercitum infestum urbi admovet, civesq; ad incitas redactos, ad deditionem compellit, Gregorium, soliô Papali dejectum, pristinæ suæ sedi reddit, adulterinum Papam, oculis erutis, suspendi curat. Crescentium verò ex fugâ retractum, vili jumento aversè impositum, ac per civitatem circumductum, ultimo supplicio affici jubet. Cùm ergo sapientissimus imperator & Gallorū, & Italorum, & Hispanorum conatus satis perspexisset, qvod Majestatē imperatoriam vel ad suos, vel ad exteros transferre in animo haberent, nihil utiliùs ad conservandam Majestatem imperialem fore ducebat, qvàm si Collegium Electorale ordinaretur constitueretur q;, ut ad nullam aliam gentem, qvàm ad Germanos illud decus deinceps pertineret. Qvare cùm ad præeminentiam Sacri Romano-Germanici imperij id maximè conducere intelligeret, non solùm hoc Septemvirale Electorum Collegium ordinavit, verùm etiam, ut non nisi Germanus in imperatorem eligeretur, prudentissimè constituit. Qvô anno autem

tem

tem lata sit hæc constitutio, variant historici. Interim tamen Papam Gregorium V. ut acceptæ injuriæ pœnas ab Italis, qvo posset modo, repeteret, Imperatori Ottoni III. ut & certus aliqvis Electorum numerus constitueretur, & simul constitutio, de Germano Imperatore eligendo, certior fieret, *authorem fuisse*, facilè Pontificijs largimur. Verùm numerum illum certorum Electorum â Pontifice Gregorio *institutum esse*, id est, qvod apertè negamus. Cùm enim verissimè notoriũ sit, antea populum & Proceres imperij semper, nunqvam verò Pontifices, potestatem eligendi imperatorẽ habuisse, qvomodo, qvæso, Gregorius V. id Electoribus dare potuit, qvod nunqvam ipsemet habuit? Inde satis patet irrationabilitas jactationis Pontificiæ, qvæ Septemviris seu Electoribus hanc eligendi potestatem â sede Romanâ datam concessamq; fuisse gloriatur. Consvetudini hoc acceptum referunt, Schonb. l. 5. Polit. c. 32. Arum. disc. III. ad Aur. Bull. Caroli IV. Imperatoris, p.122. 123. Jacta itaq; qvidem sunt Electoralis Collegij prima fundamenta ab Ottone III. Verùm jacta, non (sicuti in rebus magnis & arduis fieri solet) planè absoluta. Qvamvis enim deinceps Electio imperatoris ad Germanos alligata fuerit: nondum tamen certus Electorum numerus ex certis familijs fuit constitutus, sicuti id prolixè demonstrant alij, in ijsq; Dn. Calvisius in Chronol. ad annum Christi 998. Otto IV. qvidem, teste Goldasto in constit. imper. ad annum Christi 1208. Francofurti, cum consensu Principum, in præsentiâ Legatorum summi Pontificis, Hugolini & Leonis, tulit legem de eligendo imperatore, his verbis: *Imperatorum nullus hereditariã dignitatem vindicato. Principes sex sunto, sacri ordinis tres: Moguntinus, Trivirensis, & Coloniensis. Profani totidem, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ & Marchio Brandenburgensis: hi, si discordes fuerint, Regem Bohemiæ cooptanto;* testaturq; Albertus, Abbas Stadensis in Chron. legem hanc seqventibus annis observatam fuisse: Verùm, si historias respicimus & praxin observamus, nihilominùs postea variatũ deprehendimus. Vid. Matthæus Parisiensis. Res ut paucissimis expediatur, Ordo Electorum considerãdus videtur ratione partim *Ortus*, partim *Confirmationis*. Ortũ habuit Electorũ ordo tempore Ottonis III. circa annũ Christi 990. ut testantur Blondus, Platina, Bergomas, Crantzius, Trithemius, M. Polonus & alij; ita ut Henricus Claudus Sanctus cognominatus, primus sit Imperator ab Electoribus creatus. Verùm ex historia Friderici II. Imperatoris, & Innocentij IV. Papæ, annô Christi 1245. patet, non-

dum tunc fuisse constitutum ordinem Electorum, uti nunc est. Confirmatus autē, & uti nunc est, constitutus fuit tempore Caroli IV. qvi illū in aureâ bullâ ad certas classes & familias alligavit certisque legibus constrinxit. Nonnulli illum Carolo M., ceu primo authori, acceptum referunt, ut Suffridus Petri & Hirsavense Chronicum: verùm in Carolinâ stirpe imperium fuisse hereditarium, manifestum est. Si qvid itaq; ejus tempore Caroli M. fuit, vix prima incunabula fuerunt. Carolus namq; universam Germaniam in qvatuor divisit capita: *Bojos, Svevos, Francones & Saxones.* Francones Ecclesiastico Principi subesse voluit: reliqvis qvoq; certos Principes præfecit, ex qvibus deinceps Electores orti sunt; ex Bojis Palatinus; ex Saxonibus Saxo; ex Svevis Brandenburgicus. Vid. Henricus Bruningus de varijs Universitatum speciebus, thesi IX. sub lit. b.

QVÆSTIO VI.

Utrum Pontifici aliqvid potestatis seu juris in Imperatorem Romanum competat, ex qvo ipsum throno suo dejicere, subditos à fide ipsi datâ absolvere, aliumq; in ejus locum substituere possit.

CUm Cæsar nulli mortalium subesse dicatur, veluti cui mundi dominatus attribuitur & universalis jurisdictio, Schonb. l. 5. c. 10. p. 508. iniqvissimè asseclæ Pontificis, Papam pro summo Principe agnoscunt, & qvantùm Sol Lunæ, aurum plumbo, anima corpori præstat, tantùm etiā Papam præstare Cæsari, nugantur, atq; ei super omnes principes constituto fas esse, ipsis etiam Imperatoribus illudere. Schōb. l. 5. c. 10. p. 508. impiè somniant, Papamq; jus, ex qvō Cæsarem de throno suo dejicere, & alium in ejus locum substituere possit, omnemqve, qvâ uti lubeat, in eum potestatem habere, his frivolis argumentis demonstrare conantur. I. Qvia jure Canonico cautum est, Papam nominare, denunciare & declarare Imperatorem Romanum, itemq; jus & authoritatē examinandi personam electam in Regem & promovendam ad imperium, ad ipsum Pontificem spectare. Jam qvi hanc potestatem habet, ille utiq; imperium in manu ac potestate suà habet, &, si ita visum fuerit, imperatorem de throno suo dejicere, subditos à fide ipsi datâ & juratâ absolvere, aliumq;, sibi commodiorem, in ejus locum substituere potest. In re namq; suâ qvisq;, qvod lubet, agere, & jure suo, ullo sine crimine uti potest. II. Qvia Canonistæ plenis buccis

cis clamitant: Papam cœlestis & terreni regni caput esse, Sacerdotiúq; supereminere imperium, penesq; ipsum de jure divino & naturali residere utramq; jurisdictionem, propterea qvòd Papa non tantùm consecretur, ut Sacerdos, sed coronetur etiam uti Rex, in cujus Majestatis recognitionem testificationēq; Pontificios pedes exosculentur omnes Reges & Principes. III. Qvia fidelitatem & homagium imperator Papæ præstare tenetur. IV. Qvia imperator contumax à Papa throno dejici potest, qvòd de Henrico IV. Friderico Barbarossa, alijsq; pluribus testantur historici, qvi à Papis dejecti fuerunt. Sic Fridericus II. in concilio Lugdunensi, annô 1243. ab Innocentio Pontifice ab imperio est depositus. V. Constat ex historijs qvamplurimis, Pontifices coronasse, únxisse & consecrasse imperatores, & plurimi testantur, ante Unctionem & Coronationem Pontificis, Imperatores jurisdictionem & majestatē nullam obtinuisse. Sic Carolus M. cum filio Pipino, magno illo Salvatoris nostri die, anno Christi 800. à Leone III. Romæ unctus est. VI. Qvia Pontifici supremum jus provocandi, &, vacante imperio, administratio Romani imperij competit, Banniq; fulmine is imperatorem coërcere potest. Verùm Pontificem Romanum nullum habere jus in Imperatorem, ex qvo illum throno suo dejicere, aliumq;, subditis à juramento fidelitatis absolutis, in ejus locum substituere possit, sed per omnia potiùs imperatori subesse, ejusq; Majestatē, ceu inferiorem ac subjectum venerari debere, ex his patet argumentis. I. *Exemplis V. T.* Aaron, qvamvis summus Sacerdos, per omnia tamen agnovit Moysen Politicum Magistratum pro Domino suo, qvem ipsi Jhova in DEUM constituerat. Exod. 4. v. 16. Num. 12. v. 11. Qvin & Moyses à DEô ordinatus, non tantùm populo, sed etiam Sacerdotib9 jura & leges præscribit. Exodi 19. v. 22. & 24. cap. 22. v. 20. cap. 24. v. 14. Levit. 1. v. 1. Imò tam Sacerdotibus, qvàm alijs ex populo, ob delicta, pœnas inflixit. Levit. 4. v. 3. Moyse rebus humanis exemtô, Josuam Deus successorem facit & Israëlitis præponit, concedens ei potestatem & in populum, & in Sacerdotes Jos. 1. v. 10. c. 3. v. 6. & 8. c. 6. v. 6. Rex & Psaltes David Nathani Vati imperat & Sadoco. 1. Reg. 1. v. 32. Salomon Regis Davidis filius ac successor, Sadoco substitutô, Abjatharum destituit. 1. Reg. 2. v. 26. 27. Nec habetur ullum in V. T. exemplum, qvô, summum Pontificem, qvà talem, Regem aliqvem subjectū sibi habuisse eumque pro lubitu deponere potuisse, probari possit. *II. Exemplis N. T.* Jlle, cujus se vicarium Papa frustrà, absq; ullo manda-

 to &

to & jure, gloriatur, Cæsari subjectionem & tributum nullo modo denegavit, nec Pilatū, ut injustū judicē, de throno dejecit. Jam verò non potest vicarius plus juris & potestatis obtinere, qvàm Principalis seu Vicariatus commendator. Atqvi Christus noluit esse vel Princeps vel Rex, sed tributū dedit Imperatori, Matth. 17. v. 27. atq; cōfessus est, Pilatum, ut præsidem provinciæ ab Imperatore Romano constitutū, habere à Deo in & de se judicandi potestatem, Joh. 19. Qvid ergo Papa, qvi se vicariū Christi esse prætendit, juris in Imperatorē habebit? Qvo, qvæso, jure, qvove prætextu se ab ejus potentiâ & parendi necessitate subducere, sine summo impietatis crimine, poterit? III. Exemplis Apostolorum omniumq; primitivæ Ecclesiæ doctorum, qvi subjectionem & tributum nulli magistratui denegarunt, ut cum ex historiâ evangelicâ, tum ecclesiasticâ, alijsq; non suspectis scriptoribus patet. IV. Servus non potest deponere dominum. Papa est servus servorum, qvalem semetipse profitetur. Imperator verò est, cui mundi dominatus attribuitur, cujusq; obedientiæ & imperij necessitati Deus vel omnem etiam animam subjecit. Rom. c. 13. V. Subditus non potest domini sui, cui jure divino & humano subjectus est, subditos à fide domino datâ absolvere, nisi crimen perduellionis seu læsæ majestatis incurrere, & improbum seditionis & rebellionis flabellum dici velit. Papa est, ut & ex jam dictis patet, & patebit ex dicendis, Imperatoris subditus. E. VI. Constat præcedens argumentum, qvia in primitivâ Ecclesiâ clericos omnes unà & Pontifices sub potestate Imperatorum fuisse, atq; Imperatori, in signum debitæ subjectionis, tributum solvisse, abundè testantur historici. Idem probatur Leonis IV. exemplo, qvi præcepta & mādata Lotharij cæterorumq; Imperatorum, omnibus modis se servaturum promisit, qvi etiam, ob crimen læsæ majestatis, coram Ludovico II. causam suam egit. VII. Omne imperium Politicum legitimum ex spontaneâ & imperandi & parendi conventione est. Arist. 1. Polit. c. 1. 7. 12. l. 5. Ethic. c. 11. Atqvi potestas Pontificia non ex spontaneâ & liberâ Christianorum principum subjectione, sed contra naturam, ex callidâ & dolosâ, de commentitio mandato & ordinatione divinâ, ad solius Pontificis commodum & libidinem comparata, herilis & tyrannica est dominatio. Ergo illegitima. VIII. Nullum solidum & fide dignum suæ assertionis fundamentum, qvin imò ne exemplū qvidem, vel ex V. vel ex N. T. Pontificis defensores afferre possunt, qvô demōstretur, Pontificē à seculari jurisdictione exemptum esse, ullumve jus

in ul-

in ullam Majestatem secularem, qværcunq; illa sit, obtinere, aut unqvã obtinuisse, nedum Imperatorem Romano- Germanicum, qvi omnes Reges & Principes majestate supereminet, throno dejicere, aliũq; ipsi successorem dare possit. Argumenta superiùs allata facillimô negotiõ refelli ac dispelli possunt. In genere respondemus, illa aut non de jure, sed de facto loqvi, aut ex jure Canonico, ejusdemq; interpretibus esse desumpta. Prioris generis argumentis qvantum tribuendum, unusqvisq; intelligit, cùm non qvid fiat, sed qvid fieri debeat, facti qvalitatem æstimaturis, videndum sit. De jure Canonico ab initio qværi posset, cùm Pontifex nullâ majestate fulgeat, ideoq; leges ferendi potestate, qvâ talis, destituatur, an ulla lex, qværcunq; illa sit, extra vel præter scripturam, â Pontifice lata, nisi summæ majestatis authoritate rata habeatur & confirmetur, ullam obligandi vim obtineat. Omnia qvippe reqvisita, qvæ ad legum lationem necessaria sunt, hîc desiderantur. Pontificis, sicuti & omnium Episcoporum & Ecclesiæ doctorum est, ad legem & testimonium sua omnia peragere, ad qvæ nisi dixerint, non erit eis lux matutina. Deinde sciendum est, Jus Canonicum desumtum esse ex fundamentis, vel 1. Sacræ Scripturæ; vel 2. Juris Civilis; vel 3. ex Scripturæ Patrumq; dictis malè intellectis ac detortis; vel 4. ex Pontificum Romanorum, fimbrias suas plùs justò extendentium, cerebellõ. Si qvæ ex Scripturâ desumta sunt, non ob Pontificum, sed ob Dei, veri authoris & latoris, authoritatẽ valent: Si ex Patribus, nullam obligandi vim habent, nisi qvatenus cum verbo Dei consonant, & intra officij terminos se continent. Si Juris Civilis sunt, ob ejus, â qvo Jus civile latum & introductum est, summæ nimirum Majestatis; non ob Pontificum; authoritatem obligandi vim habent. Si ex dictis Scripturæ & Patrum malè intellectis & detortis compilata sunt, non solùm non valent, sed & crimen falsi committunt, pœnamq; falsariorum incurrunt. Si deniq; illa in Pontificum cerebello inanis fastus & audax ac temeraria præsumtio peperit; qvalia sunt in Gratiano: *Seqvendam esse regulam Ecclesiæ Romanæ, qvæ sit Beati Petri sedes: Non licere Concilium habere, nisi permittente Papâ: Leges Ecclesiæ Romanæ servandas esse, tanqvam ipsius Petri voce pronuntiatas: Imperatorem subesse Papæ, non præesse: Papæ licere populum eximere â fide & jurejurando, qvo Principi suo tenetur: Papæ licere Imperatorem removere loco & Magistratu &c.* Sleid. l. 3. de qvatuor summis imperijs, ad tit. Fridericus II. Imperator: Antichristianam tyrannidem ac superbiam spirant, & de jure nullam obli-

 gandi

gandi vim habent'. In ſpecie ad I. Reſp. concedendo qvidem, Jure Canonico cautum ac certum eſſe, qvòd Papa nominet Imperatorem, verùm negando hanc inde ſeqvi collectionem: Papa habet poteſtatem nominandi Imperatorem: Ergo etiam poteſtatem habet eandem throno dejiciendi. Deinde qvantum Juri Canonico hac in parte tribuendū, jam dictum. Tertiò. Si Pontifex fortè, tanqvam præcipuum Eccleſiæ Chriſtianæ membrum, ad electionem Cæſaris concurreret, inde tamen non ſeqveretur, qvòd ſolus omnia, hac in parte, poſſet'. Ad II. dicimus, nullam mereri fidem argumentum domeſticū afferens teſtimonium, cùm nemo in propria cauſâ teſtis poſſit eſſe idoneus. Ad III. dicimus, qvòd, licet fortè qvidam Imperatores (ac de facto qvidem, non de jure) homagium Papæ præſtiterint; non tamen omnes hoc facere teneantur, cùm â particulari & contingenti, ad univerſale & neceſſariū non valeat conſeqventia. Ad IV. qvidem largimur, â Pontifice ſolio regali deturbatū eſſe Henricum IV., verùm de facto, non de jure. Idem de alijs etiam valet'. Ad V. Reſp. latere in argumento fallaciam ſecundùm non cauſam, ut cauſam. Non enim ſeqvitur. Qvidam Imperatores â Pontifice coronati & uncti ſunt. Ergo Pontifex in Imperatores habet poteſtatem arbitrariam qvidvis faciendi. Nam qvòd Pontifices olim Imperatores conſecrarunt & unxerunt, nullius eſt vel in ipſis potentię, vel in Imperatoribus impotentiæ documentum. Conſtat Imperatores morem hunc ab Hebræis deſumſiſſe, 1. Reg. c. 1. v. 39. Levit. 8. & retinuiſſe propterea I. Qvòd vellent Eccleſiæ precibus & benedictione juvari, eiq; dona intimiùs ſibi conferri, qvę ad munus tam arduum eſſent neceſſaria. 2. Ut teſtarentur publicè, ſe principes eſſe Chriſtianos, & ſecundùm legem Domini officio ſuo defuncturos. Præterea nō poteſt Papa hanc poteſtatem habere uti Chriſti vicarius, qvia omni deſtituitur mandato, ſine qvo vicarius nullus. Ubi enim in N. T. habetur, Chriſtum Apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus hoc demandaſſe officium, ut unctionibus ac conſecrationibus Reges creent, ipſiſq; regna conferant aut auferant? *Ite*, inqvit Servator, *docete & baptiſate omnes gentes*; non ungite & create Reges. Item, *qvorumcunq; remiſeritis peccata, remittentur eis: qvorumcunq; retinueritis, retenta ſunt.* Audin' ô Papa! de peccatis, non de regnis agitur. Retine proinde peccata, ſi cujus tale, ob impœnitentiam, fuerit meritum; regnum ipſi relinqve, aut tu ipſô, ceu raptor ac invaſor alieni, major eris peccator, nec abſolvi poteris, niſi ablatum reſtitueris. *Peccatum*, ut noſti, *non remittitur, niſi abla-*

si ablatum restituatur. Qvòd cùm ita sit, & illud, qvod amore Religionis, & reverentiâ ergа sacrum ministeriũ, favorabiliter est concessum, ex stolidô fastu & improbâ præsumtione, in abusum trahatur nefandũ, rectissimè ille, qvamvis alioqvin Pontificiæ religionis addictissimus, optat, ut clericis Imperator tantam potestatem vel adimat, vel saltem restringat. Rectissimè qvoq; agit Rex Galliæ, qvòd imaginariã illam Pontificiam Majestatem non agnoscit, etiamsi ejus libertati non semel insidiati fuerint multi Pontificum: Urbanus II. & cumprimis Bonifacius VIII. Ita enim ad Philippum scribit: *Scire te volumus, qvòd in spiritualibus nobis subes, beneficiorum atq; prabendarum collatio ad te nulla spectat, & si aliqvarum vacantium custodiam habeas, usum fructum eorũ successoribus reserves, & si qvas contulisti, collationem haberi irritam decernimus, & qvantum de facto processerunt, revocamus. Aliud credentes hæreticos reputamus.* Qvocirca &, pendente Excommunicatione Philippi, cùm aliàs scriberent; *Regnante Philippo;* ejus loco positum est: *Regnante Christo:* qvasi regnum ad Ecclesiam rediisset. Sed Philippus IV. Bonifacij literis ad hunc modum respondit: *Philippus D. G. Francorum Rex, Bonifacio, se gerenti pro Summo Pontifice, salutem modicam, sive nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus, Nos, alicui nõ subesse, aliqvarum Ecclesiarum & prabendarum vacantium collationem, ad nos jure regni, pertinere & fructus earum, durante vacatione, nostros nos facere: Collationes hactenus à Nobis factas & in posterum faciendas fore validas, & illarum vigore possessores contra omnes viriliter Nos tueri, secus autem credentes, fatuos ac dementes reputamus.* Rectissimè ergo communi Procerum Imperij consensu Anno 1338. decretum factum, qvò, qvi Imperatorem electum, confirmatione Pontificiâ indigere, & electionem ac imperium à Papa dependere, dicerent, omnibus feudis & privilegijs, qvæ ab imperio haberent, ipso factô & jure privatos esse, sancitum. Ad VI. Resp. negando primò, Pontifici supremum jus provocandi competere: deinde vacante imperiô, administrationem imperij ad Papam delabi, absurdum & falsum dicimus, cùm reverà tunc illa penes Status sit Imperij. Vid. Aur. Bull. tit. 5. Ad VII. dicimus, vanam esse sine viribus iram, ut in communi proverbio dicitur, nec bruta illa in Imperatores ejecta fulmina qvicqvam proficere, cùm *extra territorium jus dicenti impunè non pareatur.* Schonb. lib. 5. Politic. cap. 10. pag. 509.

QVÆ

QVÆSTIO VII.

Utrum jus vocandi Ecclesiæ ministros ad jura Majestatis pertineat; Et an Christiani Principes à Pontifice Romano id habeant.

AD Christianos & fideles Principes, potestatem Ecclesiasticam externam, curamq; vocationis ministrorum Ecclesiæ, ut illi juxtà divinitùs institutum ordinem vocentur, pertinere, non negamus. I. Qvia Principes & ipsi sunt membra Ecclesiæ, & præcipua qvidem. II. Qvia sunt custodes utriusq; tabulæ & Ecclesiæ nutritij. Esa. 49. v 23. III. Qvia rationem habere debent eorum, qvæ ad animarum salutem spectant, inter qvæ primariò Vocatio ministrorum seu pastorum refertur. IV. Qvia praxis nostrarum Ecclesiarum sincerioris olim Ecclesiæ Christi exemplis fundata, idem docet. Neqvaqvam verò, jus hoc principibus â Papâ Romano concessum esse, admittimus: qvin potiùs Papam Romanum, partim dolo & fraude, partim vi potestatem istam ad se solùm rapuisse asserimus. Sine consensu olim & authoritate imperatorum Orientalium Pontifex Romanus ordinari non potuit, sicuti exemplum Pelagij II. demonstrat, qvi missis Legatis, Mauritio se excusat, qvòd non petierit Confirmationem, idq; obsidione Longobardorum impeditum, affirmat. Platina in Pelagio II. Non itaq; Imperatores â Pontificibus, sed Pontifices potiùs ex Imperatorum indulgentiâ collationem habent. Multos Pontifices Imperatores elegerunt, imò eosdem etiam, ob scelera & flagitia enormia, deposuerunt, v. c. Otto I. Johannem XII. Sigeb. l. 7. hist. Ital. Ludovicus IV. Johannẽ XXII. Avent. l. 2. Ann. Sic Henricus IV. vel V. Papam Paschalem in carcerem conjecit. Malmesburg. l. 5. Si qvis tamen qværat, annon igitur principes, reliqvis omnibus Ecclesiæ membris posthabitis, Vocationem ministrorum Ecclesiæ sibi solis sumere, eamq;, cæteris exclusis, pro lubitu suo, instituere possint & debeant; in sententiam negativam abimus. I. Qvia Vocatio bonum & munus est totius Ecclesię, non ad jus Politiæ, qvatenus illa talis, pertinens, sed ad regnum Christi, cùm discrimen sit inter regna Politica & regnum Christi, Joh. 18. v. 36. II. Cui datæ sunt claves regni cœlorum, illi etiam data est potestas vocandi idoneos Ecclesiæ ministros. Sed toti Ecclesiæ datæ sunt claves regni cœlorum, Matth. 18. v. 18. Ita à Gregorio Papa constitutum est, ut Pontificis electioni & Clerus & Populus intersit. Ita qvoq;

Nico-

Nicolaus non antè Episcopum consecrari vult, qvàm Cleri & Populi electio praecesserit. Leo VIII. cum toto Clero ac populo Romano electionem fieri debere rescribit. Qvare solus princeps Ecclesiae ministrum vocare non debet. Pius enim Magistratus non est tota Ecclesia, sed tantùm membrũ ejus: nec est ejus Dominus, sed nutritius; in sinum ejus delata est Ecclesia, nempe in sinum, ut foveatur, non ut confundatur. Sicuti enim sidera splendorem habent, sed ut usibus mortaliũ deserviant: sic Magistratus potestatẽ aliqvam circa Ecclesiastica, sed cum utilitate Ecclesiae devinctam, habet. Lipsius. Inde conseqvitur, jus reformandi religionem non ex nudo & mero arbitrio Principis pendere, sed consensu Ecclesiae fieri debere, exemplo Regis Davidis 2. Sam. 7. Hiskiae, qvi diligentissimè in reformatione sua contulit cum Doctoribus & sincerioribus Levitis. 2. Chron. 20. v. 22. ita tamen, ut omnes verbo Dei subjiciantur. Nec obstat, qvòd in transactione Passaviensi hoc jus statibus Imperij tributum reperiatur. Respondemus namq; ea, qvae simpliciter proferuntur, ad id, qvod rationis, pietatis & honestatis est, coarctanda & ita interpretanda esse, ut, qvo ad ejus fieri potest, absurditas evitetur, omnibusq; principum constitutionibus & legibus justissima inest clausula: *Ut civiliter intelligantur.* Materia verò subjecta id non patitur, ut ita generaliter verba ista interpretemur, vel absolutè ad solos principes referamus, alioqvin absurdus seqveretur intellectus contra verbum Dei, qvod contrarium disposuit. Distingvimus ergo inter ipsam Reformationem, & curam, ac directionem externam Reformationis. Jllam toti Ecclesiae, hanc Principi, tanqvam nobilissimo ejus membro, tribuimus. Vid. Reinkingk. Ut autem princeps hoc jus vocandi Ministros Ecclesiae sibi soli adscribere non potest: ita nec Ministerium. Qvemadmodum n. Ecclesiae gubernatio in his terris non est Monarchica: ita nec Vocatio Ministrorum ab unius alteriusvè hominis arbitratu dependere debet, sed potiùs, qvod ad omnes pertinet, id etiam ab omnibus approbari aeqvum censetur, ita ut omnia in Ecclesiâ ejusq; regimine Aristocraticè temperata sint. Meisn. disp. de regim. Eccles. Cùm itaq; omnia ordine & decenter fieri debeant, solis Doctoribus verbi & Ecclesię ministris attribui nõ debet, qvibus non fas esset, sumere partes Domini. Sunt namq; ministri Ecclesiae. Rom. c. 1. v. 1. Non Domini. 1. Pet. 5. v. 3. qvasi liceat ipsis discipulorũ fidei dominari, obtrudendo ijs, qvalescunq; velint ministros, & qvęvis credenda, qvae sermonibus Dei non continentur. Qvamobrem status

Monarchicus à Christo toties fuit rejectus, Matth. 18. v. 1. Marc. 9. v. 32. Pontifex Romanus itaq; cum suis asseclis sacrilegium committit in eô, qvod Vocationem in totum Ecclesiæ eripit, & ad se solùm suosqve transfert. Nec tamen promiscuè multitudini tribuenda, propter ordinis boni in Ecclesiâ conservationem, ut omnis evitetur confusio, sed omnia decenter fiant & ordine, 1. Cor. 14. v. 40. ita ut nec Monarchica, nec Democratica, sed Aristocratica in his terris Ecclesiæ sit gubernatio. Qvare, cum ex triplici statu constet Ecclesia: Ecclesiastico, sub qvo pastores: Politico, sub qvo Magistratus secularis: Populari, sub qvo qvivis sub populo, singulis suæ partes in Vocatione debentur, ita, ut primæ statui Ecclesiastico debeantur, qvi de vocandorum integritate vitę, sinceritate doctrinæ & dexteritate docendi, omnium optimè judicare potest. Secundæ partes Principibus, qvibus utriusq; tabulæ Custodia & Executio severissimè demandata est, & ut ministeria Ecclesiæ rectè ac ritè constituantur & administrentur, gravissimè præceptum. Hi itaque cùm & utriusq; tabulæ Custodes, & Ecclesiæ nutritores esse, ac tanqvã clypei ac scuta in populo eminere, Ecclesiã tutari, falsos cultus & dogmata, exemplo piorum Regum, Davidis, Josaphati, Josiæ, Constantini M. Theodosij & aliorum, abrogare debeant, ad ipsos etiam non parùm hæc cura pertinet. Breviter: Ecclesiasticus status debet consulere de personâ idoneâ: Popularis approbare: Politicus decernere.

QVÆSTIO VIII.

Utrum potestas congregandi generalia Episcoporum Concilia ad Imperatorem Christianum pertineat.

CAnonistæ Laicis Principibus omnem potestatem Legis Ecclesiasticæ condendæ, etiam in commodum Ecclesiæ cedentis, ademerunt. Hinc Pontifex Romanus Episcopatum universalem seu Principatum super omnes totiꝰ mundi, tum Ecclesias, tum Episcopos arroganter sibi tribuit, & super hoc falso fundamento se caput Ecclesiæ esse & supra Concilium constitutum, imò scripturæ authoritatem â se dependere statuit. Verùm qvàm falsè & improbè, cum constitutiones Imperiales tum sacræ literæ satis superq; ostendunt. Ad curam enim Principis Ecclesiasticã pertinet curare, ne errores perniciosi & Schismata in Ecclesiam introducantur, introducta foveantur, ac dissensionibꝰ & inanibus contentionibus purus DEI cultus impediatur, & candida Sponsæ stola defœdetur. Unde & rectè Justinianus Imperator dixit, se nihilo mino-

rem

rem curam Ecclesiæ, qvàm propriæ vitæ habere. Ortis autem erroribus, dissensionibus & schismatibus, nihil ad conciliandas dissensiones & extirpandos errores salubriùs est, qvàm Conciliorum convocatio. Conciliorum enim celebratio agri dominici eximia cultura est, qvæ vepres, spinas & tribulos hæresium & schismatum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit per ea, qvæ tradit Petrus Gregorius Tholoz. de Rep. l. 13. c. 1. n. 16. Autoritas verò convocandi Concilia, non ad Pontificis, sed ad Principis curam Ecclesiasticam & officium pertinet, qvi non solùm interesse, sed & præesse Concilijs debet, tanqvam caput seculare, Advocatus Ecclesiæ & Protector Conciliorum. Ita Constantinus M. primum Concilium Nicææ congregavit: Theodosius M. Senior Constantinopolitanum: Theodosius Minor Ephesinum: Carolus M. in Galliâ qvinq; Concilia provincialia, & unum generale, inconsulto Pontifice Romano, celebravit, ut Historici referunt. Frustrà itaq; Pontifex Romanus hanc potestatem, regiæ Majestatis particulam, sibi soli arrogat, hâc prætensione, qvod in ipsis Imperij Recessibus Pontifici tribuatur facultas convocandi Concilia. Nos verò dicimus, qvod Papa illam facultatem non ex se, sed Imperatoris permissu & indultu usurparit. Imperator enim Carolus V. ex qvadam *Zelotypiâ* Pontificiæ Religionis, & veneratione Pontificis, id permisit & indulsit Pontifici, ut is esset executor voluptatis imperialis in convocando Concilio. Nihil itaq; aliud Imperator Pontifici demandavit, qvàm juris, sibi, tanqvam capiti seculari & protectori Conciliorum competentis, nudam ac meram denuntiationem, qvæ in facto consistit. Itaq; si Pontifex Imperatoris mandato, qvoad convocationem illius Concilij, non satisfecisset, Carolus Imperator ipse, vi potestatis suæ Cæsareæ, id effectum dedisset, aut effectum dare potuisset. Verùm Christianum Principem potestatem habere, generalia Episcoporum Concilia sine Pontifice congregãdi, illisq; , ut summum caput, præsidendi, seqventibus probamus argumentis. I. Si Imperatori ratione officij & potestatis Cæsareæ jus convocandi Concilij competit, isq; ad id tenetur, non potest idẽ jus competere Pontifici, cùm duo ejusdem juris & rei non possint esse in solidum domini. Sed verum prius. Ergo & posterius. Qvare non potest Pontifex alieni juris & muneris usurpationem sibi sumere, sed in terminis functionis suæ permanere debet, 1. Cor. 7. v. 20. II. Qvia Imperator Pontifici terminum præscribit, intra qvem Concilium con-

vocare debet. III. Inde constat, qvod Principes & Imperatores sint utriusq; Tabulæ Custodes & Præsides, Deut. 17. v. 19. Sic Moyses omnem sacrorum rationem à Deô accepit & populo tradidit. Exod. 27. v. 20. Aaronem verbis severissimè castigavit ob vitulum aureum. Sic David cultum Dei restituit, 1. Chron. 14. v. 1. Sic Hiskias æneum serpentem confregit, 2. Reg. 18. v. 4. Neq; hoc Christi adventu immutatum. Legimus enim de Imperatore Justiniano, qvod se nihilo minorem curam Ecclesiæ, qvàm propriæ suæ vitæ habere, apertè confessus fuerit. Constat qvoqve Constantinum Imperatorem non solùm Concilia Oecumenica coëgisse, & Romanum Episcopum, sed alios etiam plures Patres Concilijs præfecisse, qvi non suo, sed Imperatoris nomine omnia statuerunt ac decreverunt. Qvam potestatem Imperatores Romani postmodùm retinuerunt, ut & de locis Sacris & eorũ privilegijs, item de personis Ecclesiasticis, earumq; creatione, numero, officio, immunitate, de cærimonijs, de diebus festis, imò de doctrinâ ipsa, tam fidei, qvàm morum, decernerent ac disponerent.

QVÆSTIO IX.

Utrum pax Religioni per Transactionem Passaviensem data, atq; dehinc in pluribus Imperij Comitijs confirmata ac stabilita, ab omnibus probanda & religiosè servanda sit.

IN hac qvæstione gravissimâ & maximè arduâ Controversia de *Pace Religionis* nobis est excutienda. Jllam autem religiosè servandam esse, nonnulli fratres de Societate Jesu negant, qvod Carolo V. Imperatori vi sit extorta, atq; ab Imperatore malè informato, ad Imperatorẽ meliùs informandum, provocandum censent. Qvanta verò superiori seculo inter eos, qvi Romani Pontificis castra seqvuntur, & inter eos, qvi Confessioni Augustanæ addicti sunt, in gravissimis fidei articulis, exorta fuerit dissensio, toti mundo notorium est, tanta scilicet, ut conjunctissimum mutuæ charitatis vinculum in Imperio Romano non solùm distraxerit, funestissimasq; belli & turbarum faces accenderit, Sleid. de stat. Rel. verùm etiam longè miserabiliorem invectura fuerit calamitatem, nisi maturô & sapienti consilio huic malo per Religionis Palladium obviam itum fuisset. Deus enim T. O. M. Carolum V. commovit, ut singulari qvadam clementiâ & paternâ erga

com-

communem patriam affectione, justis ordinum precibus ad se delatis, Religionis Pacem decreverit, constituerit, sanxerit. Ejus enim auspicijs hæc pax facta est in transactione Passaviensi, anno Christi 1552., & postea à Ferdinando Rege Romanorum, fratre ejusdem serenissimo, anno 1555. in comitijs Augustanis, jussu Caroli celebratis, sancita & promulgata: qvam ipsam constitutionem ipse Carolus approbavit & confirmavit. His itaq; Comitijs, constitutio de pace Religionis, post conventum Passaviensem, nacta est primum robur, idq; communi Procerum suffragio. In Comitijs postea Ratisbonensibus, anno 57. & Augustanis, anno 59. & rursus Augustanis, anno 66. sanctissimis verbis repetita & roborata est. Necesse igitur est, ut Imperator & status stent tam sancto promisso. Contra qvod docent Jesuitæ & alij, dicentes, Carolum V. vi fuisse compulsum, ut imperij Proceribus morem gereret, hancq; constitutionem vi ferroq; ab Imperatore fuisse extortam dictitant, Tarqvinij illud ad Lucretiam, apud Livium l. 1. decad. 1. falsissimè accommodantes immane dicterium: *Ferrum in manu est*. Inde sic argumentantur. Juris explorati est, qvod sine consensu, eôq; liberô, nullus contractus iniri possit. Unde qvibus necessitas adhibetur, vi non minus falsa, qvàm vera dicere solent. Nam vel dolorem tolerantes verum occultant, vel facilè mentiuntur, ut à cruciatu liberentur. Nec sufficit, ut consensus ex voluntario qvopiam actu descendens accidat, sed talis debet esse, qvi ab omni coactione doli & metus (nam & qvi dolo agit vim ac metum infert) sit liberrimus, propterea, qvod consensui nihil tàm contrarium sit, qvàm vis aut metus. Atqvi Imperatoris decretum, non ex voluntario & liberrimo consensu, sed ex coactâ voluntate est ortum. Ergò conseqvitur, hoc decretum non esse ratum habendum sed rescindendum. Contrà qvod decretum hoc super Pace religiosâ ex paterno & singulari affectu erga communem patriam sit sancitum & promulgatum, probamus ex ipsâ constitutione *Pacis Religiosæ* sub anno 1552. §. **Habē wir als Römischer Christlicher Käyser/ von sonderlicher Liebe vnd Begierde wegen/ so wir zur Teutschen Nation/ vnd deroselben Stände Friede vnd guter Einigkeit tragen/ vns mit denselben/ vnd Sie hinwiederumb mit vns verglichen/ etc.** item: **Alles bey Käyserlichen vnd Königlichen Würden/ Fürstlichen Ehren vnd wahren Worten etc.** Idem probatur ex alijs confirmationibus, in omnibus ferè comitijs repetitis. Deinde patescit idipsum ex definitione Pacis Religionis.

nis. Definitur enim *Pax Religiosa, qvod sit edictum, de certa Religionis in Romano Imperio liberè colendæ facultate, concordi Statuum suffragio, sub gravissimâ pœnâ, promulgatum*. Est edictum i. e. Constitutio Principis Monarchiam repræsentantis; de certæ Religionis facultate, non hæreseos notoriç exercitio; liberè exercenda, non more Libertinorum; concordi Statuum suffragio, etiam ipsius Imperatoris Caroli V. Principis victoriosissimi. Est ergo Pax Religiosa edictum sive Constitutio Principis, qvâ Princeps motu animi liberô, citrà personæ privatæ, vel specialis causæ determinationem, publicè qvid edicit. Ex Const. Pass. **Setzen demnach/ ordnen/ wollen vnd gebieten/etc. §. So wollen die Käyserl. Majestät/** qvæ verba legis & L. latoris sunt gemina. III. Juramento se adstringunt Sacri Imperij Romani Proceres, ad hujus Constitutionis observantiam. Pœnam etiam in transgressores ejusmodi statuunt eandem, qvæ Pacis publicæ fractoribus irroganda est, nempe Bannum Imperij. Argumentum proinde in contrarium qvod attinet, limitamus 1. majorem propositionem: Prætor enim ibi non intelligit, qvamlibet vim, teste Ulpiano, sed majoris rei impetum, qvi omninò repelli non possit, & metum non vani hominis, sed qvi in hominem constantissimum cadere possit. Unde in Min. Prop. mirum, qvod istiusmod imetum in invictissimum Carolum cadere potuisse ausi fuerint affirmare, qvi sanè rerum â Carolo v. gestarum non fuêre ignari, sed optimè novêre, Electorē Saxoniæ tunc temporis detineri captivum, & magnanimum illum Heroëm, Philippum Hassiæ Landgravium custodiæ mancipatum, & præter Bremenses & Magdeburgēses, potentissimas Imperij civitates ad unum omnes defecisse. An ergo erunt, qvi vi ferroq; extorserint Religionis libertatem? Præterea toti mundo notum est, Carolum v. piæ memoriæ, non solùm suis incolis, sed etiam exteris Regibus & Principibus potentissimis, imò ipsi Solymanno, maximum terrorem incussisse, & tamen is, qvi infinitas & incredibiles confecerat expeditiones, novem in Germaniam, sex in Hispaniam, septem in Italiam, decem in Belgium, qvatuor pace & bello in Galliam, bina in Africam itinera peregerat, Alsted. Encycl. l. 18. Syst. Polit. c. 18 fol. 2666. contra propriam conscientiam, à tam exiguâ hominum copiâ, omni subsidij spe prorsus orbatâ, coactus fuisse dicitur. Qvid? si ipsis, Carolum v. atroci vi fuisse compulsum, daremus, ut Principibus Imperij morem gereret; qvod tamen citra veritatis præjudicium concedi neqvit, ecqvid inde reportarent?

tarent?

tarent? Si enim vim indiſtinctè ad obligationẽ enervandam efficacem eſſe arbitrantur, vehementer errant. Nam Ulpianus hoc modo reſpondet: *Vim accipimus eam, qvæ contra bonos mores fit, non eam, qvam Magiſtratus intulit, ſcil. jure licitô.* Qvæ Ulpiani reſponſio ex eô dependet principiô, qvod in omni facinore aſpicienda ſit delinqventis voluntas. Cùm ergò in Principibus Romani Imperij defecerit voluntas delinqvendi, ex eô, qvod qvi ſuo jure agit, nemini faciat injuriam. Ergò iſtiusmodi metum ac vim, contra bonos mores, non intulerunt: Qvi enim facit id, qvod Lex præcipit, ſive ea divina ſit, ſive humana, jure ſuo utitur. Jam Principes Imperij fecerunt id, qvod Lex divina præcipit. Ergo Min. prob. Lex divina præcipit ſcrutari Scripturas, & in ijs manere, utpote qvæ ſint *utiles ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem, qvæ eſt in juſtitiâ; ut perfectus ſit homo DEI, ad omne bonum opus perfectè inſtructus.* 2. Tim. 3. Atqvi Principes ductu Spiritus S. Scripturam S. ſcrutati ſunt, ideoq; liberum religionis exercitium, toties iteratis ſuis Proteſtationibus ac ſupplicibus libellis, repetiverunt. Ergò id tantum modo fecerunt, qvod Lex divina eos facere jusſit. Sed dicat qviſpiam, qvinam ſunt illi Principes Proteſtantes? nonne hæretici? Illi ex Alſted. Encyc. Syſt. Polit. l. 18. c. 18. p. 2666. Reſpondemus: Non ſufficere, vocare aliqvem hæreticum, præſertim eum, qvi ſuam confeſſionem ex limpidiſſimis Iſraëlis fontibus ſcaturientem haurit & deducit. Deinde, ipſis etiam fidem ſervandam eſſe dicimus. His verò non contenti Jeſuitæ, alijque ejus conditionis homines ulteriùs progrediuntur, atq; provocant ab Imperatore malè informato, ad imperatorem meliùs informandum. Paucis itaqve nobis hæc qvæſtio erit excutienda. Simpliciter & reguliter ab imperatore appellari non poſſe, propterea qvod id non tantùm iniqvum, verùm etiam ſtultum ſit, innoteſcit. Qvare non poſſe, cauſâ legitimè diſcuſſâ, ab imperatore malè informato ad imperatorem meliùs informandum provocari, ſeqventibus freti rationibus demonſtramus. I. Qvia â Regibus & Principibus qvibusdam inferioribus non appellatur. Ergo multò minùs ab imperatore Romano. II. Qvia appellationes fieri debent gradatim, ab inferiore ad ſuperiorem. Imperator verò nullum ſuperiorem habet. III. Qvia appellans arguit judicis iniqvitatem. IV. Qvia â Papa malè informato ad eundem meliùs informandum non appellatur. V. Qvia â Cameræ ſententijs, tanqvam judicibus malè informatis non appellatur. Qvi igitur ab impe-

ratore

ratore? VI. Causâ legitimè discussâ, imperator non potest appellari malè informatus imperator. Ergo nec ad meliùs informandum provocari potest. Jam causa de pace religionis non solùm ab imperatore legitimè est discussa, verùm etiam á Proceribus imperij, communi Principum suffragio, approbata. Qvænam ergo erit Jesuitarum provocatio? Atq; hæc de pace religionis dicta sufficiant.

QVÆSTIO X.

Utrum in Romano-Germanicâ Monarchia salutariter introducta sit Imperatoris Electio, ideoq; retinenda.

MOdus legitimè & ordinariè perveniendi ad imperia vel regna ferè duplex apud gentes receptus est: ELECTIO & SUCCESSIO. Arum. disc. 2. ad aur. bull. Caroli IV. Imper. th. I. Qvis verò ex hisce duobus modis utilior sit Reip. inter Politicos nō cōvenit, & uter illorum tutior, ijdem in incertum trahunt. Qvi pro successione stant, urgent I. Qvia plurimi populi successione fuerunt delectati, atq; ex illâ Reges suos petierunt, ut de Ægyptijs, Parthis, Medis, Africanis, Turcis, Indis, Moscovitis, Francis, Hispanis asserit Bodinus. II. Qvia successio est naturalis modus constituendi magistratum; Electio verò artificialis: Atqvi naturalia sunt præferenda artificialibus. E. III. Qvia successio continuat regni statum benè constitutum, & impedit interregnum, qvod graves in Rempublicam clades inferre solet. Tum enim Resp. sine rectore fluctuare incipit, ut navis in medio mari, sine navarcho, legibus silentibus, & spe conceptâ impunitatis, repletur homicidijs, vindictis sceleribusq; alijs. Petr. Greg. Tholozanus. IV. Qvia lubentiùs & faciliùs obtemperat populus consveto Domino, qvàm alij, qvi eligitur ex familiâ non receptâ. V. Qvia illi diligentiùs & accuratiùs præparari possunt ad regnum gubernandum, qvi succedere debent; cùm contra illi, qvi eliguntur, sæpè non sint præparati ad regnum tam amplum administrandum. VI. In Electione eligitur aut potentior, aut inferior. Si potentior, tunc magis studebit regno patrio, qvàm electitio, atq; sic fiet, ut ærarium ejus atqve jura imminuantur, & patrimonia Reip. exhauriantur, Petr. Gregor. Tholotz. Qvod si eligatur inferior & humilior, is, cum tenuioribus rebus assvetus fuerit, statim animum extollet, secundùm illud:

Deterius nihil est humili, cum surgit in altum.

VII. Accedit, qvod nova subditis imponantur tributa, vectigalia, & exactionibus alijs multis illi affligantur. VIII. Qvia Electio pendet ex potestate

testate vel favore eligentium, qvi multis modis corrumpi possunt. IX. Qvia spes de aliqvo concepta facilè eligentes potest fallere. Non enim novum, ut homines, qvorum virtus, dum privatis suis intenti fuerunt agellis, fuit conspicua, in deteriùs vergant, adepti licentiam. Schonborn. l. 2. c. 1. p. 114. X. Qvia successio certior est: minore qvippe discrimine sumitur, qvàm qvęritur Princeps. Tacit9 l. 2. histor. XI. Prensationes ambientiū successio magis enervat: natura qvippe mortaliū Imperij est avida. Pravas aliorū spes cohiberi ait, Tac. l. 8. Annal. si successor nō sit in incerto. Cōtrà Electionē pręferendā Successioni hęc seqvētia evincunt argumēta. I. Qvia Ungaria, Polonia, Bohemia huc usq; usi sunt Electione, nō sine magno Reip. suę commodo. II. Qvia Electio antiqvior Successione. Nulla enim unqvam potest esse successio, nisi olim aliqvis fuerit elect9, in cujus locū postea aliqvis succedere potuerit. Sic Romanorū primi Reges autoritate Senatus, jussu Populi Romani, constituti sunt. Halic. l. 4. III. Qvia Electio dignissimum qvemq; qvęrit & optimum. Atqvi imperium dignissimo cuiq; tribuendū svadet Natura. Bod. l. 6. c. 4. Unde interrogatus Alexander M. in agone, num fratrem vel Filium Herculem sibi successorē, aut aliū qvempiā vellet, respondit, dignissimū mihi successorem opto. Just. l. 15. IV. Virtus semper certior Dux, qvàm Natura. Atqvi Electio fit secundùm virtutē. E. V. Qvia per Electionem libertas Reip. magis stabilitur. Nam possunt sic conditiones proponi & præscribi Principibus futuris, in qvas oportet eos omninò consentire, anteqvam recipiantur. VI. Qvia majorē parit benevolentiam erga subditos, qvi elegerunt. Nam qvia in Electione plures sunt, qvi regnū ambiūt, qvod & ipsa vox Electionis indicat; eligere n. est unū ex multis legere; idcircò qvi novit se ipsum regnū ambivisse & qvęsivisse, agnoscet, se magis esse obligatū regno, ad qvod fuit assumt9: cùm cōtrà is, qvi successit, cogitet, coactos fuisse subditos, ut hunc Regem ferrēt. VII. Qvia is, qvi electus est, faciliùs potest moneri ac moveri, qvàm is, qvi successit. Nos utramq; Reip. utilē & necessariā esse, & in ea cōsvetudinē loci maximè attendendam esse, dicim9, qvā si successio probetur, nos illam nō improbam9. Verùm in comparatione pro Electione pugnandū statuimus. Plus n. pōderis in se habent argumēta, qvæ pro Electione, qvàm qvæ pro successione prolata sunt. Imperium nostrū Romano-Germanicum ab initiô hereditariū fuit. Augustus n. à Juliô Cęsare Testamēto fuit institut9; hic rursus Tiberiū; Tiberi9 Caligulam regni heredē reliqvit. Cęso Caligulâ jus Electionis principiū ha-

 buit,

buit, & qvandoq; à Senatu, qvandoq; à Populo electus fuit imperator. Ad Germanos postqvam translatũ est imperiũ, in Caroli M. stirpe hereditarium planè hæsit, usq; ad Conradi I. Franconiæ ducis tempora, qvi, extinctâ stirpe Carolina, pura Electione creatus fuit. Inde in Imperio Germanico, Electio, majorum imitatione laudabili, recepta fuit & etiamnum viget. Bodinꝰ qvidem l. 2. c. 3. in fin. de Rep. existimat in Austriacâ gente Imperiũ Romanorũ tàm altè radices egisse, ut ejus evellẽdi vix ulla spes esse videatur: qvò nihil aliud in effectu insinuat, qvàm liberã Electionẽ Septemviris subtrahi, &, in vicem Electionis, successionem substitui. Verùm eundẽ modum servãt Dani & Poloni, apud qvos, licet Rex eligi soleat, constat tamen, continuata temporũ serie, eosdem ex eodẽ genere Reges suos elegisse, qvod natos paternę virtutis, Thuã. l. 56. heredes futuros sibi persvadeant, &, qvod in parentibus admirati sunt, hoc de filijs eorũ facilè sperari posse confidant. Non tamen ex ijs, qvod Bodinꝰ autumat, colligi fas erit. Nam qvę ratio? Ut continuato temporũ contextu Alberto, Fridericus III. huic Maximilianꝰ I. isti Carolus V. huic Ferdinandus; illi Maximilianus II. huic Rudolphꝰ II. & tandẽ huic Matthias, ex domo Austriacâ, substituti fuêre, ita, si forsitã magis in familiã aliã alius Electoribus placeat, hunc non minus, qvàm illos in soliũ Imperiale votis suis sublimare possunt: qvę sanè potestas, ne Electoribus adimeretur, capitulationibus subseqventiũ non minùs, qvàm Caroli V. cautum est, qvod dignitatem Imperij suę familię peculiarem vel hereditariam facere, aut etiam Electoribus libertatem suffragiorum pręripere non velint. Arum. disc. II. ad Aur. Bull. Caroli IV. Impᵉ th. 2. Qvicqvid olim fuerit, hodie Imperiũ non Successione, sed Electione defertur. Aur. Bull. Ita qvoties evenit vacare Imperium, Electores convenire in unum, & Regem Romanorũ in Imperatorem promovendũ eligere, officij & juris jurandi necessitate, obstringuntur. Ex his itaq; satis patet, Imperatoris Electionẽ salutariter in nostra Romano-Germanicâ Monarchiã esse introductam, ideoq; retinendã. Restat ut argumenta pro Successione allata resolvamus. Primũ de multitudine Populorum allatum, nõ ullo modo nos constringit, cùm multitudo errantium nõ pariat errori patrocinium. Qvin imò constat, longè plures gentes Electione usas fuisse. Ad secundũ dicimus: Virtutem semper certiorem Ducem esse, Naturâ. Ad tertium. Non animadvertere Petrũ Greg. Tholoz. longè majora incommoda ac pericula Successionem comitari. Qvod si mascula proles deficiat & adsint fæmellæ, nonne inter has & patruos litium semina de successione spargentur? Qvid? si mas-

culus adſit, qvi verò ob ætatis imbecillitatem ac impotentiam faſces moderari neqveat, annon plurimorum annorum naſcetur ἀναρχία? Nec eſt, qvod de præfectis ac tutoribus dicant. Periculoſiſſima n. eſt eorum adminiſtratio, qvod plurimę nobis commonſtrant Hiſtorię. Demetrius Soter, mortuo Antiocho fratre, relicto filio primogenito, cujus Tutor conſtitutus erat, hunc fratris filium curavit enecari, ut ſolus regnaret. Juſtin. Sic Caſſander Alexandri M. heredes jugulavit, qvorum Tutor conſtitutus erat, ut ita regno potiretur. Juſt. l. 15. Qvod ergò ad interregnum attinet, in Electione præcaveri facilè poſſunt, qvę inde regno naſcuntur incommoda & pericula: Si nimirum ſucceſſor ante mortem Regis deſignetur, ſicuti Carolus v. petijt, ut ſibi Ferdinandus ſubſtitueretur. Sleid. l. 17. Sic hac de re ſatis in Germaniâ, præſertim in Electione novi Imperatoris, proviſum eſt, ubi duobus Electoribus, Comiti Palatino Rheni, & Duci Saxoniæ, mortuo Imperatore, adminiſtratio eſt demandata, donec tempore ſtatô, & pręciſè ad hanc rem diſpoſitô, novus eligatur. Aur. Bull. Qvartum ſolvimus per rationē ſextam pro Electione adductam. Qvintum, ſextum & ſeptimū nobis eximit ratio noſtra. iv. pro Electione allata. Qvin imò plura ſunt mala & incommoda in ſucceſſione timenda, inter qvę primarium ferè, qvod talis approbandus, qvalē illa ſuppeditat, ſive is jam ſit bonus, ſive malus, qvod omninò in electione non fit, cùm optimum eligēdū eſſe ſvadeat. Si ergo cōtingat, ut, qvi in Imperio vivunt, perverſæ ſint vitæ, omninò pręteriri poſſunt ac debent. Ita Lydij hominem ſimplicem ac probum ad Imperium evehere maluerunt, qvàm potentioris fortunam experiri. Et notatu dignum illud, qvod Conradus I. cùm in ſtirpe ſuâ nullum imperio aptum deprehēdiſſet, Henricū aucupem hoſtem ſuum ſucceſſorem ſibi elegit, ob virtutes, qvas in ipſius animo ſplendere animadverterat. Ad octavum reſpōdemus, qvod illud non facilè pręſumatur, cùm ejusmodi inprimis perſonis Electio demādetur, qvę ab omni ſuſpicione liberę ſint & immunes, adeoq; ſanctè polliceantur, ſe, abjecto omni affectu, ſpreto omni munere, digniſſimū electuros, qvod Electores facere in electione Imperatoris ex aur. bull. Caroli iv. colligere poſſumus. Imò & illud ad reprobandā ſucceſſionē adduci poteſt, qvod non rarò Principes, ob ardua negotia, qvibus implicantur, liberos ſuos negligentiùs curent inſtitui. Hinc ſilveſcere incipiunt, &, cùm poſtmodùm in libertatem vindicare ſe cœperint, parùm præcepta juvabunt; cujus rei exemplum in Nerone habemus, qvi fruſtrà, ubi ad imperatoriū culmen evectus fuit,

Præceptorē Senecam habuit, ipsumq; ex sævitiâ, truculentô mortis genere, enecavit, nec hoc solô contentus, sed matrem etiam enecari, uterumq; ejus dissecari in conspectu suo jussit, ut videre posset, qvo in loco in utero materno infans posit9 fuisset. Nec Zopyrus Thrax discipulum suum scortatione potuit abstrahere, nec Nausithous Achillem ab ebrietate, qvia uterq; in primo ætatis flore corruptus fuerat. Frustra n. pręcipitur illi, qvem mali mores corruperũt. Sen. c. 49. Ad Nonũ hęc sufficiat responsio: Si fortè accidat, ut Princeps ex Electione constitutus, durante imperiô, degeneret, atq; à regia virtutis viâ ad vitiorũ tramitem deflectat cum Domitianô, Svet. in Dom. & ex leni patre cruentus carnifex fiat, qvod de Forlego II. Scotorum Regulo scribit Buchananes l. 4. Rerum Scot. p. 96. ille rursus exui regno potest. Ita Dionysius filius Dionysij Syracusani Tyranni (qvi primùm dum se benè gerebat, populo gratus & acceptus erat) ob crudelitatem regno pulsus est. Just. l. 2. Ita Poloni regem suũ Mitzlaum de solio regali deturbarunt. Ad x. et xi. R. non qvidem negari, alicubi successioni etiam suas tribuendas commoditates: verùm hic qværi, si secundùm omnia instituenda comparatio, utra sit potior: Successio an Electio. Atq; hęc de oppositis rationibus dixisse sufficiat.

QVÆSTIO XI.

Utrum Pontifex Romanus, ex donatione Constantini M. Italiam & Urbem Romam obtineat.

D. & p. 50. l. 2. c. Tom. Vita Constantini

VEniamus in hac qvęstione ad patrimonium Petri, i. e. ad jus prętensum Pontificis Romani in Italiam. Alst. Encycl. Syst. Polit. l. 18. c. 18. fol. 2660. Prętendunt Pontifices suam esse urbem Romam, suũ regnum Siciliç, suam universam Italiam, suum deniq; totum Occidentē, & ex donatione qvidem Constantini M. primi Christiani Imperatoris, qvi Ecclesiæ commoda maximè adjuvit. Verùm hanc donationem purum putum esse figmentum ac mendaciũ putidum Babylonis mysticæ, è pluribus constat. Qvare utrum illa donatio facta fuerit nec ne, in hac qvæstione videbimus. Causas ob qvas hanc donationem factam ajunt, inutiles ac futiles proferunt has. I. Qvia imperator Constantinus leprâ correptus à Sylvestro Papâ Romano curatus fuerit. II. Qvia Baptisma acceperit à Sylvestro, ideoq; Christianus effectus ipsi gratificari voluerit. Contrà, qvod hæc donatio nullo modo facta fuerit, his probamus rationibus. I. desumimus ex silentio historicorum fide dignorum, qvi Constantini vitam & illius temporis gesta scripserunt, & Constantini tempore vixerunt, ut fuit Eusebius, Socrates, Sozomenus, Theodoret9,

& alij, qvos refert Arnif. in tractat. de temporal. Pontific. potest. Platina, etsi vasa aurea argenteaqve, item reditus, qvos luminaribus Petri & Pauli Constantinus Sylvestro assignarit, accuratissimè recenseat: minimè tamen hujus immensæ prodigalitatis mentionem facit. II. ab absurdô & Improbabili. Qvia illa donatio nõ tantùm contra fidem historicam est, verùm nullô etiam modô verisimile & probabile est, Imperatorem, cui nihil jucundiùs & gratiùs contingere potuit, qvàm Provinciarum & regnorum accessionibus imperium augere, illudq; longè lateq; proferre, patriam suam, & caput Orbis terrarum, tot item tantaq; regna alteri donasse! sanè non tantùm sui suęq; dignitatis, verùm etiam suorum, &, qvod maximum est, Populi Romani, qvorum laboribus & sangvine ad Imperium fuerat evectus, immemor fuisset, qvod credibile nõ est. III. A Conseqventibus. Qvia constat Constantinum Imperatorem morti vicinum, Imperiũ & regna sua inter tres suos filios distribuisse, Constantinũ videlicet, Constantium & Constantem. Constantinus totius Occidentis Cęsar constitutꝰ est, &, Constantino à militibꝰ propè Aqvilejam interfectô, Constans ejus frater Occidentalibus partibus imperavit. Constante verò & ipsô per fraudem interfectô à Magnentio Tyranno, Constantius, qvi in Oriente Imperium obtinebat, audiens occisum fratrem, Imperiumqúe à Magnentio occupatum, in occidentis partes venit, ac extincto Tyranno, imperium Italiæ ac totius Occidentis recuperavit: atq; dehinc ad annos 140. apud Constantini Successores integrum imperium permansit. Qvomodo itaq; Constantinus Sylvestro Occidentalium partium ditionem donavit? Qvod si donata illa qvidem fuerat, & à Constantini filijs injustè occupabatur, cur Romani Pontificis qverelę nullibi extant? Ubi tunc ejꝰ fulmina? Ubi ignis ille sacer, qvô postea tot regna conflagrarunt, tot fortissimi imperatores adusti occubuerunt? IV. A negatâ omni possessionis apprehensione. Qvia nec à Constantino nec ab ejus Successionibus Pontifices Romani unqvam ulloq; modo in possessionem sunt admissi. Vid. Laur. Valla, qvi solidè probat Donationem Constantini M. merum esse somnium & imposturã Papæ. V. A tacitâ confessione Pontificum. Qvia ipsi Romani Episcopi in Concilijs & alibi, qvando probationem afferre debuerunt, nõ ausi fuerunt hanc Donationem ulteriùs urgere. Hinc Johannes XXII. dum Anathematis fulmen in Ludovicum Bavarum Imperatorem vibrat, Christi vicariatũ saltem prętendit, de hac Donatione magis, qvàm piscis mutus. VI. Ab hominum Pontificiorum testimonio. Multi in & sub ipsis Papatꝰ tenebris hanc Donationem multis cõfutarunt. Videatur inter alios Johann. Avent. Annal. Bojorũ l. 5. f. 447.

 VII. A

VII. A Pugnantib9. Qvia ipsi Pontificij de hac Donatione planè repugnantia & contradictoria proferunt. Citant n. Melchiadem seu potiùs Miltiadē testem hujus donationis Sylvestro factę, qvem tamen antè Sylvestrum Petri naviculam rexisse constat. Aut itaq; Sylvestro non est facta donatio, aut de eâ Miltiades testari non potuit, qvi antecessit Sylvestrum. Atqvi secundùm Papicolas hæc donatio facta est Sylvestro. Ergo Miltiadis testimoniū fallò adducitur. Deinde in autorib9 hujus donationis variant Papicolę. Nā modò eam Constantino adscribunt, modò Carolo M. ut est apud Crantz. l. 2. rer. Saxon. c. 1. modò à Caroli M. filio Ludovico Pio factam esse Paschali Papæ asserunt. Ex qvibus fraudulentæ machinationes Pontificiorum manifestè & ad oculum apparent. Nam qvod semel nostrum est, ampliùs nostrum fieri non potest. IIX. A cōnnexis & nō probabili. Falsitas prætereà inde qvoq; patet, qvod tempore Concilij Nicæni, qvod Constantinus coëgit, Sylvester, tanqvam Episcopus Romanus, Ecclesijs tantùm suburbanis præfuerit, qvod non fecisset, si donatio facta jam fuisset. IX. A non scripto. Qvia nullum usqvam in toto juris civilis corpore extat Donationis hujus vestigiū, cùm tamen, ut ICti monent, ea, qvę notabiliter fiunt, specialiter sint notanda. X. A non cohærente. Si jam olim omnia Occidentalia donasset Pontifici Constantinus, qvorsum opus fuisset liberalitate novâ Pipini & Ludovici? semel tantùm res nostra fieri potest. XI. Ab Impossibili seu Indecenti. Constantinus donare Sylvestro nō potuit Occidentem: Qvia intercessisset hæc donatio de bonis, & juribus ejusmodi, qvæ S. imperij caput & cor tangunt, qvęq; ossibus tantę majestatis impressa manent. Nec n. imperium in manu Principis est, ita, ut ejus jura pessundare, & instar pecuniæ per fenestrā ipsi ejaculari liceat. Bald. Jura siqvidem proprietatis & dominij universalis, nō ad Principem, sed ad ipsum imperij corpus pertinent. Dicat tamen fortè qvispiā: Imperator est mundi dominus. Jam verò qvilibet rei suę moderator & arbiter est. R. Imperator in reb9 imperij tunc Domini loco habendus, qvando Remp. administrat, nō verò qvando imperium spoliat. Imperator n. Domin9 est qvoad Jurisdictionem, protectionem & administrationem, nō qvoad alienationem: ideoq; non magis imperator jus habet diminuendi imperij, qvàm truncandi sibimet ipsi caput ac mutilandi membra. Siqvidem imperator tūm, enormiter imperiū diminuendo ac veluti viscera ejus eviscerando, fit homicida propriæ dignitatis. Vid. Gerlac. Buxdorf. in dissert. ad proœmium Aur. Bull. in clus. 11. Bona n. sunt secundus hominis & præsertim tantę dignitatis sangvis. Sicut a. sangvis est vehiculum animæ & vitæ naturalis, ita bona sunt vehiculum vitę civilis, qvib9

dimi-

diminutis, dignitatis acies maximoperè hebescit. Qvare qvę dignitatem & majestatem imperij lædunt, ea ne facere qvidem posse imperatorem, statuimus. XII. A justi & liciti negatione. Neque recipere potuisse Papam hanc donationem Constantini M. asserimus inde, qvia hoc possumus, qvod honestè & licitè possumus; hoc verò non possumus, qvod est contra leges. Huic autem donationi, ipsiusmet Pontificis leges contrariantur, ubi alienationem Regis Hungariæ, ne jurejurando qvidem confirmatam, valere vult Honorius III. cùm in regni tendat detrimentum. Imò ipsa divina repugnat lex, qvæ jubet Cæsari dare, qvæ sunt Cæsaris, & Deo, qvæ sunt Dei. Jam verò ad Cæsares imperia, ad Sacerdotes pertinent ministeria. Ad dubitandi rationes supra adductas itaque sic respondemus. I. Argumentum [illegible]ô consistit figmentô, qvia ex Chronologia aliud demonstratur. Nam dicitur Constantinus tunc temporis qvartùm Consulatum gessisse cum Gallicanô qvartùm Consule. Atqvi Constantinus M. cum Gallicanô nunqvam fuit Consul, ut ex Historis manifestum est. Octies qvippe is Consul fuit: I. cum Maximianô Herculio IX. Consule; II. cum C. Licinio III. cum C. Liciniô III; & IV. cum eodem C. Liciniô IV. Consule; V. Cum Liciniô Juniore Cæsare; VI. Cum Constantino Juniore Cæsare; VII. cum Julio Constantinò Cæsare; VIII. Cum Constantino filio Cæsare. Unde jam & qvisnam Gallicanus ille, & qvis Constantini M. cum illo Consulatus? Imò verò á verò planè alienum est, leprâ correptum potuisse accipere Consulatum & in publicum prodire, cum illi, qvi tali morbo correpti essent, neminem ad se admittere, sed in privato sese continere debuerint, exemplo Regis Azariæ 2. Reg. 16. v. 5. qvi leprâ correptus, statim ad Jothamum regnũ transtulit. Qvin & inde (ne plura attingamus) hoc Donationis Instrumentum falsitatis arguitur, qvod in eô sancitum dicitur, ut *Pontifex Romanus Principatum teneat, tàm super qvatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam: qvam etiam super omnes in universo terrarum orbe Ecclesias Dei &c.* cùm eô tempore Constantinopolis nondum condita fuerit. Cæpit enim condi, annô post conditum mundum 4277. post Christum natum 328. Coss. Fl. Magno Januariô, & Fabio Justô, proximò annò ante octavum seu ultimum Constantini Magni Consulatum. At donatio hæc facta fingitur Constantino & Gallicano IV. Consulibus. *Mendacem oportet esse memorem.* Ad II. opponimus Papicolis omnes Scriptores Ecclesiasticos, qvi unanimiter asserunt, Constantinum Baptisma distulisse usque ad ultimum vitæ suæ terminum, & Nicomediæ tandem, ab Eusebio, ipsius loci Episcopô, baptizatum. Siqvidem

qvidem ipse in Jordane baptizari voluit, ubi Christus ipse à Johanne baptizatus fuisset, ut ipse Eusebius testatur: *Cum Constantinus*, inqviens, *esset Nicomedia, morbo corripitur, ibiq́; qvòd sciret, qvàm incerta esset hominum vita, donum suscepit Sacri Baptismatis. Id enim facere ad illud usqve tempus distulerat: qvia in Jordane fluvio, qvo Christus baptizatus, consecuturum speraverat.* Qvibus omnibus falsæ Papicolarum Inductiones prorsus & in totum confutantur, profliganter & in fumos ac favillas rediguntur. Vid. Alsted. Encyclopæd. libri 18. Systemat. Politici cap. 18. pag. 2660.

conf. Schönborner [illegible]

QVÆSTIO XII.

Utrum Pontifici, præter gladium spiritualem; qvi ipsi, tanqvam Episcopo Orbis Christiani primario, modò eo rectè utitur, convenit; gladius secular[is] etiam competat, isq́; eam potestatem in omnes Reges ac Christiani Orbis Principes habeat, ut eos deponere, & regnis ac territorijs suis eÿcere possit, qvando & ubi voluerit.

DIstincta esse dona DEI, Sacerdotium & Imperiũ, nec sine magnâ ataxiâ con[...] posse, notum est Qvare Ecclesiasticam & Spiritualem potestatem ita à temp[...] distinctam esse & fuisse constat, ut nihil deroget illi aut detrahat, qvò minùs e[...] na ordinatione seculares Principes propriam exercere valeant jurisdictionem, [...] ulla veterum Canonum & Conciliorũ universalium læsione & injuriâ, præsertim [...] & ipse Ecclesiæ summus Pontifex non semel testatissimum faciat, se minimè ve[...] giam, civilem & secularem perturbare dignitatem. Qvò & Innocentius Papa c[...] at, qvando ita scribit: *Non putet aliqvis, qvod jurisdictionem illustris Regis Fran[...] perturbare aut minuere intendamus, cùm ipse jurisdictionem nostram nec debeat n[...] impedire.* Qvare relictô gladiô spirituali Papæ, modò illô rectè utatur, dicim[...] competere illi gladium secularem multò minùs eam potestatem ipsum haben[...] mnes Reges & Christiani Orbis Principes, ut eos deponere & regnis ac territo[...] exuere atq; ejicere possit. Vid. qvæst. 6. supra tractata. Sicq́;, DEO sit laus, co[...] nẽ huic nostræ dissertatiunculæ imponimus Faxit Jehovah ter opt. max. ut [...] dem aliqvando Christi Ecclesia & Sponsa afflictissima ab Antichristi Romani, [...] umq́; aliorum, tum externorum, tum internorum hostium tyrannide liberat[a] pleneq́; respiret, deq́; hisce hostibus suis victrix lætissima triumphet.

Μόνῳ τῷ θεῷ τῷ πανσόφῳ καὶ παναρίστῳ δόξα.

